





Illustrissimus ac Reverendissimus
Dominus Dominus

LADISLAUS e Comitibus **CSÁKY**

de Kerefztszeg, Perpetuus Terrae et Cottus Scepusiensis
Supr. Comes, Episcopus Consecratus Tininiensis, et
Cath. Eccl. Magno Varadiensis Praepositus Major. &c.

HISTORIA
UNIVERSALIS GENTIUM
STATISTICO-GEOGRAPHICO-POLITICO-CRITICA

QUAM

IN USUM AUDITORUM

CONCINNAVIT

PAULUS NAGY,

AA. LL. ET PHILOS. DOCT. ALMAE AC CELEBER. UNIVERSITATIS PESTIENSIS FACULTATIS PHILOSOPHICAE COMMEMBRUM. IN REGIA SCIENT. ACADEMIA M. VARADIENSI HISTORIAE UNIVERSALIS GENTIUM, ET PRAGMATICAE REGNI HUNGARIAE PROFESSOR R. PUBL. ORD. AC BIBLIOTHECAE ACADEMIAE CUSTOS.

TOMUS III.

CONTINENS HISTORIAM HISPANORUM, PORTUGALLORUM, GALLORUM SEU FRANCORUM, BRITANNORUM SEU ANGLORUM, DANORUM, SVECORUM, HELVETIORUM, BELGARUM, BORUSSORUM, POLONORUM, RUSSORUM, TURCORUM, ET HUNGARORUM, ALIARUMQUE GENTIUM CUM HIS NEXUM HABENTIUM; INDE AB EARUM ORIGINE, USQUE AD NOSTRAM AETATEM.

BUDAE,

TYPIS REGIAE SCIENT. UNIVERSITATIS HUNGARICAE 1825.

Admittitur ad imprimendum

Antonius Nagy m. p.
Gremialis ad Excelsum Cons. Reg. Locumte.
Librorum Censor et Revisor.
Budae 22. Septembris 1825.

ILLUSTRISSIMO

AC

REVERENDISSIMO

DOMINO DOMINO

E COMITIBUS

LADISLAO CSÁKY

DE KERESZTSZEG.

PERPETUO

TERRAE SCEPUSIENSIS

ET

I. COMITATUS NOMINIS EJUSDEM

COMITI.

CONSECRATO

EPISCOPO TINNINIENSI

PRAEPOSITO S. CRUCIS DE ASZÓD

CATHEDRALIS ECCLESIAE M. VARADIENSIS

LATINI RITUS

PRAEPOSITO MAJORI

ET

CANONICO.

PIAE ANTIQUITATIS CULTORI CELEBERRIMO, MECAENATI SUO MUNIFICENTISSIMO GRATIOSISSIMO.

ILLUSTRISSIME COMES

E T

EPISCOPE!

Inter publicos plausus Beneficium illorum, quae in me et Auditores meos per TE ILLUSTRISSIME COMES collata sunt memor! juste expostularunt hoc qualecunque grati adversum TE animi monumentum ut exstaret perenne. En Muneris instar *Facta Populorum* in hoc Tertio Historiae Universalis Gentium Tomo, pia mente Honoribus TUIS dico atque consecro! in quo varios humanae sortis casus, stupendas Gentium vicissitudines, Eventus etiam optimorum Consiliorum minus felices cernere est; Hic morbos Reipublicae lustrare, Arcana Imperiorum ingredi, item Consilia Principum, Bella summorum Regum, ortum et occasum Populorum, cruentaque Ec-

cle-

clesiae Christianae incunabula inspicecere, hincque assurgere licet ad Summi Numinis admirabilem Providentiam, qua Imperia et Regna de Gente ad Gentem ob Impietatem, Injustitiam, Avaritiam et Libidinem transferendo gubernat, provide exemplum Gentibus relinquens: quid imitari, quid fugere, quid mirari debeant! Igitur non tam Historiam qualemcunque, sed realem Optimi et Justi Hominis Institutionem in Sacratas ILLUSTRITATIS TUAE Manus offero! ex cujus lectione omnis discedet melior et prudentior, deligetque quos velit et possit continuo imitari sapienter.

Jam talis Salutaris Institutionis TUUM Fronti praefixum Nomen quis leget? quin Laudes et omnium Vota exaequent, Eloquentiaeque vires exhauriant! Nec immerito: defluxit enim in TE haud interrupta serie sanguis Heroum purissimus, ut si cetera, quibus TE eminere suspicimus ornamenta abessent;

so-

sola nascendi conditione abunde Magnus videare! Nam si Gentis TUAE originem querere licet? inter primos Scythiae Duces AKUSIUM invenire est. Si ad numerum Gloriosorum Facinorum, quibus Majores TUI inclaruerunt? annos numerare oportet. Si Prosapiae TUAE investigemus incunabula? aut necesse est credere CSAKIOS nunquam fuisse parvos, aut fateri praeter Illustre Antiquitatis Documentum nihil ibi reperire! omni enim tempore Alii Belli artibus eminuerunt; Alii Senatorias Togas, et Sellas Curules, Infulas Alii Sacras in Prosapiae suae Praerogativas diviso inter se se splendore ostentabant. Quid vero! si Eorum ineundus esset numerus, qui ferrum et Victoriam inter Tartarorum Turcarumque jugulos circumtulerunt? Nomina integri exercitus conscripta esse viderentur! Quae immortalia facinora, etsi inter Patrii duntaxat Regni limites gesta fuerint, toto orbe tamen vulgata, omnium auribus VESTRUM Nomen, omnium Mentibus

in

incredibilem virtutis existimationem Magnificis verbis jam olim insinuabat. Quid amplius? sicut Virtutum, ita Dignitatum omnium Domicilium Splendidisssimum Familiam TUAM jure dixero! inde enim Hungaria Palatinos, Arae Antistites, Ecclesia Romana Cardinales, Regna Proceres, Curiae Patres, Claustra Praesules Militares Arenae Duces, Literae vero Cultores atque Fautores omni aevo delegerunt; Quos diversi Hungariae Reges omni tempore vel sibi a Consiliis esse voluerunt, vel in Sanctiorem etiam Senatum adlegerunt; aut Legionibus, Urbibus, Arcibus, imo et Comitatibus Praesides Jure Haereditario Perpetuos esse jusserunt: Quales vivos etiam num ingenti laetitiae sensu coram plures conspicimus, atque ut Superi diu Superstites tam Praeclara bellicae virtutis Exempla velint vovemus!

Satis igitur exhibui Gentilitiorum Insignium CSAKIANORUM Decora, brevi

ca-

Calamo hic insinuata potius quam conscripta haud esse futurorum praesagia, sed praeclare Actorum totidem Testimonia atque Argumenta, prout Caput Saraceni, ferocientis instar Equi absectum in scuto Sigilli clare testatur. Tu vero ILLUSTRISSIME COMES sanguinem a Majoribus haustum amplius adhuc propriis illustrasti Virtutibus, ideo dum TU opellae huic meae Animum benigniorem indulseris, nonnisi Majorum TUORUM Decora aspicies, in quibus tamen TUA mirabuntur alii, atque illorum in TE aucta praedicabunt: tantum tamen abest, ut vel hac ratione meritá TUA po dignitate me exornaturum sperem, ut etiam majorem inmodum verear, ne inferiori longe scribendi genere labem potius adspergam!

Inde enim ab ineunte aetate TUA, amoenissimam vitae partem in assequendis honestarum Artium scientiis, rerumque Divinarum intelligentia Domi et Foris ma-

magnis successibus continuo impendisti. Utque Altissimo litares Sacrificium, mox pulcherrima contentione, undique TE Theologicarum scientiarum Praefectum Posonii expetebant, unde ad amplissimae Urbis Pestiensis Parochiam Pastorali zelo administrandam evocatus, brevi post Curam Animarum pluribus annis in Kéménd obiisti; unde mox in Sacrum Posoniensium, dein vero jam anno 1792. Varadiensium Canonicorum Collegium fueris cooptatus; ubi dum summo studio ac diligentia concrediti TIBI Muneris partes plene ac Cumulate explevisses, excelsus tamen animus et flagrans Charitas, ac effusa ad benefaciendum voluntas, angustis his limitibus contineri minime potuit, sed omnibus ut omnia fierent, TE promovendae proximi TUI saluti totum devovisti. Quis enim procurandarum animarum studium, Religionis tutandae amplificandaeque conatum, promovendae item pietatis solertiam in Antistite quodam desideret? quam TU in Alma Dioece-

ce-

cesi Magno Varadiensi per Duodecim et amplius annos vidua in Ecclesia Vicariali Dignitate ornatus praesetulisti; prout pietatis TUAE Documenta firmiore Charactere marmori, Aris, Templisque inscripserunt. Insuper quis eorum numerum ineat, quos ad Sanctiora signa vocatos, derelictas lachrymantes viduas, langvescentes orphanos, esurientes pauperes, parentibus orbatos scholares, TUA Munificentia clam hodiedum alis. Invitasti dudum ante populum exemplo TUO ut frequentes ad Aras Cultores adessent, quibus ipse Aras, ipse Domicilia Religiosis aeque ac femininis injuria temporum desolata velut alter Fundator fere excitasti; moribus una TUIS necessitatem alteram, signanter Monialibus Posoniensibus et Varadiensibus pie vivendi imposuisti, ne scilicet Fundatoribus suis dissimiles essent. Similiter florens Museum Nationale Hungaricum TUAM ILLUSTRISSIME COMES ad omnem aeterni-

ta-

tatem seris posteris annunciabit Munificentiam! Pro quibus eximiis factis, servet TE DEUS salutarem Ecclesiae, Faustum Populo, Fortunatum Patriae, Auspicatum Regno! Superi TE velint sospitem diuque valentem, ut in tempore oportuno gratiam invenias; sic voveo Magno Varadini die 2 Septembris 1825.

ILLUSTRITATIS TUAE

humillimus ac devotissimus
Cliens
Paulus Nagy,
Professor Historiarum P. O. Varadinensis.

D. D. PRAENUMERANTES

Ill. ac Reverendissimus D. Jesich. Joannes Bapt. Ep. Segniensis, S. C. R. et A. M. Consiliarius.
Ill. ac Reverendissimus D. Tarkovics Georgius primus Episcopus G. Cath. Eperjesiensis.
Ill. ac Reverendissimus D. Laicsák Franciscus. Episc. Rosnaviensis 3. Exemp.
Excellentissimus Comes. Erdödi Joannes. Supremus Comes Comitatus Varasdiensis.

Rdissimus. D. Csák Franciscus. Abb. et Can. Varad.
— Tagen Joan. Nep. Can. Varadiensis.
— Delinger Joannes. Can. M. Varad.
— Czár Stanislaus Can. Modrusiensis
— Toljan Laurentius Can. Modrusiensis.
— Merzlják Nicolaus Can. Modrus. et Prof.
— Mudrovach Nicodemus Can. Modrus Prof
— Paracz Vincentius Can. Segniensis et Rect.
— Panchich Georg. Praepositus A Diac. Corbav.
— Orosz Mich. Can. Albensis et Prof. 2 Ex.
— Vajky Georgius Praepositus Eörs. Vesprem.
— Horvath Joannes Can. Vesprem.
— Szmodiss. Joannes Can. Vespremiensis
— Laszkalner Antonius Can. Vesprem. Honor.
— Manuilovich Max. Abb. Claustri Oppoven.
— Kukovich Jos. Ep. Diacovar. Can. a Latere
— Borbola Nic. Can. Honor. et Prof. juris.
— Molnár Petrus. Paroch. M. Varadien.

A. R. D. Katnich Stanislaus Paroch. Cziquenicensis.
— Czár Nicolaus Paroch. Delnicensis.
— Cimiotti Anton. Seminarii Segnien. stud. Praef.
— Rigo Basilius O. Min. Guardianus Kantensis.
— Fehér Anton. Paroch. Osdolensis. 2. Exempl.
— Spreizenbart Joan. Prof Theol. Vesprem.
— Turcsányi Carolus Prof. Hist. Tyrn. 27. Ex.
— Markl. Ignatius Ill. Ep. Vesperm. Ceremon.
— Hajós Josep. Sud. Prof. Vespremiensis.

Ne-

A. R. P. Nemeth Anton Cap. Veszprem. Cappellanus.
— Hornyik Joseph. Dioces. Veszprem.
— Kaszszay Georg. Paroch. Váradien. Ruthenicus.
— Eltes Alexander e. Schol. Piis. Bisztri. Rector.
— Popovics Basilius Phil: Doct. Ep. Eper. Secre.
— Laczkó Joan. Bibliothecarius Eperjesiensis Ep.
— Lieb Ignatius Paroch. Ujlakien. Dioec. Strig.
— Haan Joan. Paroch. Visnovien. Dioe. Nitrien.
— Vozarik Joan. Prof. Philos. Nitriensis.
— Suba Joan. Castolna Miticen. Coop. 2. exempl.
— Sculteti Joan. Prof. Hist. Szathmarien. 2. ex.
— Sipos Iosep. Prof. Theol. M. Varadiensis.
— Radimeczky Andreas Ill. Ep. Varad. Secret.
— Harcsarik Georg. Prof. Theol. Varadiensis.
— Marton Stephan. Prof. Theol. Varadiensis
— Fejes Iosephus Seminarii Varad. Vice Rector.
— Huzli Carolus sedis Consist. Varad. Notarius.
— Hamvay Carolus Ill. Ep. Varad. Ceremon.
— Kubiczer Franc. Lycei Szegedien. Direct. 2. ex.
— Erdelyi Ios. Paroch. Csabensis. Dioec. Varad.
— Gergulits Ioan. Par. Ujvarosien. Dioec. Agr.
— Nemeczky Stephanus Cooperator Tyrnav.
— Oravecz Martinus Paroch. Czeroviensis
— Hulyák Ioseph. Cooperator Sassinien. 2. ex.
— Reisz Ioan. Paroch. Lehotensis Dioec. Neosol.
— Mifsits Stephanus Paroch. Muslen. et Assess.
— Klinkovits Ioseph. Cooperator Muslensis.
— Magótsi Stephanus Ord. S. Fran. Provincialis Gyöngyösiensis XI. exemplaria.
— Dudas Franc. O. S. Franc. Gyöngyön. Prof. H.
— Czevapovich Greg. O. S. Franc. Guard. Vien.
— Picher Ioan. Dioces. Csanadiensis Presbyter.
— Gyokich Simon Cooperator in Vinkovcze.
— Petreczky Pet. Phiae et Theol. Doct: Ungva.
— Likovits Ioan. I. Gram. Prof. Ungvar. Presbyt.
— Ungváry Ioseph. Arch. et Bibliot Ep. Ungvar.
— Toho Stephanus. Ep. Rosnav. Secre. 3. ex.

Bibliotheca Kovatsiana Eperjesiensis.

R. P. Körösi Franc. O. Min. Prof. Kantensis.
— Konrath Conradus O. M. Concionator Kantens.
— Majertsik Camill. Conv. Eperjes. Lector.
— Benda Protasius II. Hum. Prof. Eperjes.

R. P. Király Ioseph. I. Hum. Prof. Eperjes.
— Kissó Steph. IV. Gram. Prof. Eperjes.
— Cziriáky Donatus III. Gram. Prof. Eperjes.
— Hranek Sabinus Vicarius Conv. Eper.
— Matzek Ioseph. Prof. Radnen. Capistran. Prov.
— Veidhoffer Aloys. O. S. Franc. Concion. Tyrnav.
Sp. D. Verner Alois. Judex Nob. Bihariens. Varad.
— Krajtsovics Adamus Prof. Matheseos. Varad.
— Ambrus Mich. Exc. Cons. Hung. Concipista.
— Kultsár Steph. Ephem. Hung. Pest. Redactor.
— Horvath Joseph. I. Direct. Stud. Varad. Actuar.
— Rácz Georg. Caalis. Rationista Varadiensis.
— Kristianovics Alois. Vice Regens Conv. Zagrab.
— Nagy Lad. de Perecsény. Jud. Nob. Aradiensis.
— Szöke Stephanus I. C. Arad. ord. Notarius.
— Kopold Emeric, Geometra. M. Karolini.
— Tarrodi Ludovicus Fiscalis in Veszprem.
— Jofejï Joannes Rationista.
— Bujanovics Vincentius de Ag Telek. Assessor.
— Podhajeczky Petrus Fiscal. et Comp. Fam. Plen.
— Urban Ignat. L. R. Civit. Eperjes. Capitaneus.
— Bohatsek Andr. Geom. Ep. Varadiensis.
— Dullovacz Franc. Tab. Ban. Prot. et Assessor.
— Farkas Alex. I. Cottus. Posegani Fisc. Ord.
— Klemenits Petrus Prof. Zagr. et Advocat.
— Susich Lad. Prof. Hist. Zagrab. et Assessor.
— Palugyai Lud. de Bodafalu II. C. Assessor.
— Morocz Stephanus Provisor Ludasiens.
— Thámár Emericus Prov. Török Sz. Miklos.
— Mariasevich Bartholom. Cam. Castell. et Asses.
— Gorupp Joan. Dominii. Jaszka Frumentarius.
— Degen Joannes Physicae Adjunc. Pest. Univ.
D. Inkey Alex. II. a. Phil. Zagrab.
— Simonyi Samuel II. a. Phil. Jaurini.
— Lukacs Carolus. II. a. Phil. Jaurini.
Sp. D. Jedliczka Joannes Prov. Cam. Butyinensis.
— Strahler Joseph L. R. Civit. Comar. Ord. Not.
— Petrovich Joseph. I. Tab. Regiae Protocol. Pest.
— Sziderics Frid. C. R. Bell. Cancell. Adj. Budae.
— Dellimanics Gab. II. C. Asses. Eszekini.
— Kövesdi Franc. Regius Fiscalis Pestini.
D. Mora Matthias II. a. Jurista Pestini.
— Kauliczy Constant. Bibliopola Neoplantensis.

D. Vajda Paul. Bibliop. Cassov. X. exempl.
— Schvaiger Andreas. Bibliop. Poson. XX. exempl.
R. D. Tihanyi Joannes Theol. II. Anni.
— Nehrebetzky Geor. — — —
— Kőváry Basilius — — —
— Rudnay Alexander Theol. I. Anni.
— Miskoltzy Martinus Philos. II. anni.
— Papp Franciscus — — —
— Zaklukal Joannes — — —
— Sebestény Ludov. Philos. I. anni.
— Dónay Joannes — — —
— Stadler Petrus — — —
— Kozátsek Josephus — — —
— Spécz Josephus — — —
— Markus Josephus — — —
— Menyhart Franc. — — —
— Palkovits Joseph. — — —
— Czvajna Joseph. — — —
— Holecz Petrus — — —
— Viszaver Ignatius — — —
— Kolotsányi Joseph. — — —
— Szabó Josephus — — —
— Pekarovits Joannes — — —
— Hogenbuch Steph — — —
D. D. Polyánszky Ludov. — Paszt Carol. — Koszanovics Athan. — Tokodi Steph. — Jakab Theod. — Nemethi Petrus. — Pusztay Lud. — Uherek Joann. Szilvay Ludovicus. — Hengelmüller Michael. — Hengelmüller Carol. — Grivalszky Joseph. — Unschult Anton. — Hoffman Maur. — Bochinszky Joan. — Azari Andreas. — Juhaszovics Georg. — Jugovics Franc. — Schrader Carol. — Zimán Paulus. — Lukáts Stephanus. — Szabó Joan. — Horza Steph. — Iszák Joann. — Laurán Josephus. — Huth Carol. — Sugho Jos. — Papp Ladislaus. — Novak Joan. — Risovszky Joan. — Rosván Constant. — Simonovics Joann. — Philipp Antonius. Papp Georgius. — Piber Pius. — Vulkán Nico- Jursinszky Josephus. M. Varadini.

PARS TERTIA

HISTORIA

UNIVERSALIS GENTIUM.

Caput I.

Exhibens Historiam Hispanorum.

§. 1. *Statistico Geographica notio.* Hispania nobilissima Europae regio ab *Hispano* rege, vel juxta alios ab *Hispali* urbe (hodie *Sevillam* vocant, sic dicta; quam veteres Graeci *Iberiam* a fluvio *Ibero*, et *Hesperiam* vocarunt; alii *Paniam* a *Pane*, alii *Ispaniam* *S. Paulus* Apost. vero *Spaniam* *a*) dicit. Hispaniam cingit ab oriente mare Mediterraneum, ab occi-

a den-

a) Epist. ad Rom. c. 15. 24. 28.

dente Oceanus Atlanticus, a meridie fretum Herculeum, a septemtrione Oceanus Cantabricus et Pyrenaei montes, quibus a Gallia separatur. Longitudo 200. latitudo maxima 140. latitudo minima 60 milliarium Hispanicorum, circuitum vero 600. milliarium statuunt: subest medio quarti, totique quinto, parti etiam sexti climatis, est que optima ad res omnes temperies; Romanis jam olim multum laudata ab incolarum multitudine, et fortitudine, a proventuum vini, mellis, olei, frugum omnium abundantia, ab equorum praestantia, et metallorum divitiis, a coeli salubritate per omnes provincias aequali, aere sereno nullis paludium nebulis infecto. *a*) *Munsterus* autem dicit. *b*) Aurum, argentum, ferrum bonum, et probatum nullibi in tanta copia, ut in Hispania est inventum, non enim effoditur solum aurum, sed et flumina praesertim Tagus, cum intumescunt ex pluvia producunt auream arenam; unde antiqui Scriptores testatum reliquerunt, eam auri, argenti, cupri, stanni, plumbi, ferri, omniumque metallorum fodinis abundare, nec non argenti vivi, et salis uberrimam esse. Inventa olim erant hic fragmenta auri depurati, magnitudine dimidiae librae. Sunt quoque diversis in locis calidi et frigidi fontes, ad diversos morbos curandos efficaciam

mi-

---

a) Justin. L. 44. c. 1. Strabo. L. 1. Geograph. Joseph. Flav. L. 2. de bell. Jud. Pomponius Mela. L. 3. *b*) Sebastianus Munsterus. L. 2. Cosmograph.

mirabilem habentes. Nocentibus animalibus non abundat. Quod autem quaedam in Hispania loca inculta sint, causam statuunt primam fertilitatem, omniumque rerum abundantiam, ut plebei homines fere ex fructibus silvestribus, melle et herbis laute vivere possint, unde ad agriculturam non magnopere coguntur. Secundo quod armorum usu magis quam Aratro, et studio ex- excolendae terrae afficiantur; Hispani enim tam amantes bellorum semper fuisse leguntur, ut bellum quam otium mallent, et dum externus hostis deesset, inter se decertarent, relicta feminis rei familiaris et agrorum cura; hinc bellatrix armisque nobilis Hispania passim vocabafur, quae prius a Romanis obsessa erat, quam se ipsam cognovisset; unde paulo post magnam a bellica fortitudine gloriam adepti, praeter alias provincias, novum occiduum orbem, nempe Americam imperio suo adjecerunt. Laborum famis et sitis tolerantissimi, in stratagematibus cauti, corpore veloces, hostem facile sequuntur; ad Literarum studia etiam aptissimi, *Herculem* cum Musis conjungunt. Tributum non prius exteris solverunt, quam *Augusto* Imperatori, qui dum vario marte omnem Hispaniam perdomuisset, universam in tres Provincias divisit *Baeticam*, *Lusitanicam*, et *Tarraconensem* et singulis attributi erant conventus. Prius in *citeriorem*, et *ulteriorem* dividebatur. Tardius autem plane in sex provincias fuisse divisam legimus, nempe praeter priores tres, in *Char-*

thaginensem Galiciam, et *Tingitanam*. Maurorum autem tempore plurima regna erant in Hispania, quae posteriores in V. diviserunt nempe: *Castellae*, *Aragonum*, *Portugalliae*, *Granatae* et *Navarrae*. Novissima autem distributione in tria regna totum Imperium dividitur uti *Aragoniae*, *Castiliae*, et *Portugalliae*. Sub regno *Aragoniae* comprehenduntur praeter *Aragoniam*, *Catalonia*, *Valentia*, *Minorica*, *Majorica*. In regno Castiliae sunt: *Biscaia*, *Leon. Asturia*, *Galaecia*, *Estremadura*, *Andalusia*, *Granata*, *Murcia*, utraque *Castilia* cum insulis *Canariis*. Ad Regnum Portugalliae pertinet *Algarbia* hodie etiam *Brazilia* in America. In toto regno fere innumerae sunt urbes, quarum praecipuae sunt: *Madritum*, *Hispalis seu Sevilla*, *Lisabona*, *Tarraco*, *Granata*, *Pampelona*, *Valencia*, *Barcino*, *Legio* seu *Leon*, *S. Lucar*, *Corduba*, *Nebrissa*, *Compostella*, *Toletum*, *Salamantica*, *Complutum*, *Pintia*, *Caesar Augusta* seu *Saragossa* etc. Hispania multis irrigatur fluviis, praecipui sunt. *Iberus*, *Durius*, *Minius Tagus* auriferis arenis copiosus *a*) *Anas* seu *Guadiana* etc. Sunt qui 150 numerant, et in iis pontes 700. inter quos nobilissimi, *Segoviae* et *Alcantarae* sunt. *Lacus* complures plane admirabiles, sic lacus prope *Bejaram* oppidum, futuram pluviam, turbinemque magno äeris so-

---

a) Solinus in Polyhistore, et Isidorus L. 13. Etymolog. c. 21.

sonitu pronunciat. Hispaniae sinus celeberrimi sunt tres, omnes ad mare Mediterraneum commercio oportunissimi uti: *Sucronensis*, *Illicitanus*, et *Virgitanus*. Inter montes *Pyrenaeus* principem obtinet locum Hispanos ab Gallis dividens, caeteri enim montes ejus partes sunt. Innumera sunt publica et privata aedificia, plurima magnifica templa, Abbatiae, Coenobia, Monasteria, in ultimo etiam pago duo, tria. Sunt etiam publica Xenodochia, et nosocomia, multa Regum conspicua palatia, Magnatum et Equitum pulcherrimae aedes. In universam Hispaniam jam olim varii populi pervenerunt, *Plinius a*) tradit *Iberos*, *Persas*, *Phoenices*, *Celtas* et *Poenos*, Hispaniarum regnum referente *Nauclero* et aliis *b*) a *Jubal* ortum habuit: is namque ex Armenia egressus, primus Hispaniarum Regnum obtinuit, ubi et sedem constituit, quae primo a *Jubal Japheti* filio *Iberiae* nomen accepit; quod regnum dein Celtici; Turduli, Turdetani, Celtiberi, Vascones, Varduli, Cantabri, Astures et Carpetani incolebant. *c*) Postea vero Saraceni, Arabes, Gothi, Vandali etc. Qui omnes populi jam olim Reges suos habebant. Hodie Hispanorum rex nascitur, non eligitur, coronatur tamen et juramentum dat atque acci-

a) Etymol. L. 3. c. 1. *b*) Strabo. L. 4. Geographiae. *c*) Plinius. L. 4. c. 21. Ludovicus Nonius in descriptione Hispaniae quae accuratissima est. Antverpiae 1607. 8.

accipit. Filii regis *Infantes* appellantur, et primogenitus patri succedit, qui *Princeps Asturiae* dicitur. Rex licet supremam potestatem habeat, nihil tamen decernit nisi ex XII. virorum consilio, qui primores regni *Senatum Regium* constituunt. Sunt et alia officia publica, quae per *Cortes* seu Comitia diriguntur. Ducum, Marchionum, et Comitum ingens est numerus, nam primarii *Duces* circiter sunt XXIII. quorum annuus proventus est a 40. ad 100. ducatorum millia, imo Dux *Infantasgi* 120 millia, Dux vero Medinae-Sidoniae 130. millia ducatorum habet. *Marchiones* sunt circiter 40. qui majore exparte annue percipiunt a 10, ad 60. millia Ducatorum. *Comites* recensentur circiter 80. quibus annuus reditus est a 10. ad 25. millia ducatorum; inter quos principem locum obtinet *Bonaventi*, *Alvae*, *Mirandae*, et *Oroposae*. Porro numerum Vicecomitum, Baronum, Gubernatorum, Praefectorum, Magnorum Magistrorum, Equitum variorum ordinum longum foret enarrare: inter vigentes hodie etiam ordines primatum tenet I. Ordo Equestris *Aurei Velleris* toto orbe celeberrimus, a *Philippo* duce Burgundiae occasione nuptiarum cum *Elisabetha* filia *Joannis* Lusitaniae regis Brugis in honorem *S. Andreae* institutus; incrementa tamen sua Regibus Imperatoribusque, quibus et claruit, et hodie claret, debet. Burgundicos hos honores, cum Burgundiae Belgiique provinciis, *Maximilianus* I. Romanorum Impe. adlecta sibi in matrimo-

mo-

monium *Maria Caroli Audacis* unica filia haerede, in Austriam intulit. Translatus hic ordo subinde a *Carolo* V. in Hispaniam quoque, dum Romanam Hispanicamque Monarchiam inter *Ferdinandum* fratrem et *Philippum* filium divideret: coepit hic ordo 1430. II. Ordo Equestris *S. Jacobi* de Spatha, dictus *Compostelanus*, in memoriam relatae miraculosae de Mauris a *Ramiro* Rege ope S. *Jacobi* albo equo exercitum divinitus praecedentis, victoriae, a *Ferdinando* II. Aragonum Rege institutus, a *Coelestino* III. Pont. vero approbatus circa a. 1198. vel juxta alios 1175. III. Ordo Equitum *Calatravensium* contra Mauros et Barbaros primum a *Raimundo* Cisterciensium Abbate *Toleti* institutus, inde a *Sanctio* IV. Toletanorum rege Calatravam inductus, legibus Cisterciensium regitur, a tribus Pontificibus confirmatus, summi Principes gesserunt; demum *Ferdinandus* Rex Catholicus, annuente *Innocentio* VIII. Pont. sibi et successoribus eam dignitatem propriam affecit; coepit ordo 1158. IV. Ordo Equestris *Alcantarrae* a duobus fratribus illustribus *Svero Fernandez* et *Gomesio* fundamenta accepit 1156. contra Mauros catholico regno deturbandos, initio ordo S. *Juliani* de *Pyrario* appellatus, dein permixtus ordini Calatravensium, subinde restitutus 1411. Summa dignitas a *Carolo* V. perpetua est regibus Hispaniae, leges accepit a Cisterciensi sacra familia. Porro olim florentes, sed hodie exstincti ordines equestres erant: Equites *Lilii*, coepit

pit 1035. ordo Equitum *B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum*, coepit 1218. ordo Equestris *S. Salvatoris* Gallis et Hispanis militibus communis, inclaruit 1117. Ordo Equitum *Bindae* sive fasciae rubrae florem juventutis nobilitatis complectens, coepit 1420. Ordo Equestris *Montesiae* ex bustis Equitum Templariorum surrexit in regno Valentiae a. 1318. Ordo Equitum *Columbae* et *rationis* coepit 1389. Ordo Equitum *S. Mariae Lilii* in honorem B. *Mariae* Virg. coepit 1403. Ordo Equitum *Squammae* coepit 1420. Ordo Equitum a *Cruce Burgundica* a *Carolo V.* Imp. auspicium sumpsit 1535. sed brevi evanuit. Quod Hierarchiam Ecclesiasticam attinet et scientiarum culturam suis in paragraphis videbimus; ceterum teste *Aenea Sylvio* Hispania optimis terris comparanda, non Imperatores tantum et Reges Romae atque Italiae dare solita est, sed Cardinales etiam ac Pontifices maximos, quorum vita emendatissima et doctrina admirabilis fuit, qui bonas literas et veram religionem non modo conservarunt et propugnarunt, sed ipsum quoque Romanum Imperium pristino splendori et gloriae restituerunt. Verbo Hispania larga manu confinalibus suis aliisque remotioribus populis infinitas merces tum apud se natas, tum aliunde advectas subministrat, uti: sericum, celeberrimarum ovium sericeas lanas, omnis generis pannos, sal, saccharum, mel, mala medica, citrea, granata, olivas conditas, uvas, ficus, pruna

passa

passa, amygdala: anisum, coriandrum, oryzam, crocum, oleum, ceram, alumen, minium, purpuram, fructus conditos, alabastrum, gossypium, gemmas, pretiososque lapides et aromata, ab Indis aliisque accepta, pro quibus grata commutatione accipiunt eas merces ab Europaeis, Africanis, Asiaticis et Americanis, quas natura ipsis denegavit. *a*)

§. 2. *Status Religionis et Consvetudinis Hispanorum.* Religionem post diluvium primus in Hispaniam intulisse creditur *Tubal Noachi* ex *Japheto* nepos; *b*) quae religio qualis erat incerta est. Verum postquam Phoenices aliique Asiae et Graeciae populi, qui et *Saguntum* condiderunt, optimorum metallorum gratia frequentes in Hispaniam navigavissent, Asiatica et Graecanica scelera, uti et ritus certo intulerunt; antiquos enim Hispanos *Junonem* coluisse docet templum *Junonis*, quod *Ptolomaeus* ad fretum Herculeum posuit; quam sententiam *Mela* *c*) sic confirmat: *Tum Castellum Ebora in littore et procul a littore Asta colonia: extra Junonis ara*

---

a) Praeter Pomponium Melam, Solinum, Strabonem, Plinium, vide Geographicum Hispaniae statum ap. Ludov. Nonium, Hispaniae seu populorum, urbium, Insularum ac fluminum descriptionem Antverpiae 1607. 8. Martinum Zeitlerum, qui scripsit Itinerarium Hispaniae et Lusitaniae Amstelodami 1656. 12. et Paulum Merulam in Cosmographiae parte Altera Amstelodami 1636. aliosque recentiores. *b*) Strabo. L. 1. Geographiae. *c*) Pomp. Mela L. 3. c. 1.

ara, *templumque est. Veneris* quoque templum ultra Pyrenaeos montes ad mare Balearicum fuisse scriptores prodiderunt. Singulare tamen et proprium Hispanorum Numen erat *Deus Endovellicus*, cui sacratas inscriptiones ex *Grutero* exhibet *Reines*: *Deo Endovelico. Praestantissimi, et Praesentissimi. Numinis. etc. Endovelico sacrum etc. Endovelico pro salute. Vivienniae, Venustae. etc. Endobolico.* Sic etiam Phoenices ex Africa in Hispaniam transeuntes urbem *Gades* (Cadix) posuerunt, ibique fanum *a*) *Herculi* sumtuosum cum sacris magnificis Phoenicum ritu peragendis instituerunt, quod templum sicut priscis, ita recentioribus etiam seculis (ad Diodori aetatem) ad nostram usque aetatem, in summa veneratione habitum fuit. Hinc Gadiani etiam hodie memoriam *Herculis* sacram habent in *Philippi V.* neoelecti regis numo, in cujus antica legitur: *Philippi V. D. G. Hispan. Et Ind. Rex MDCC.* In postica vero Hercules, caput et dorsum et pudenda tectus, exuviis leoninis, sinistro pede insistit clavae, domatque duabus manibus duo leones, in quorum medio stat cum hac inscriptione: *Hercules. Fundator: Gadis. Dominatorque.* Ceterum antiqua haec gens uti Christianam Philosophiam, ita et veram *Christi* reli-

quam

a) Diodorus. L. 5. c. 20. Mela. L. 3. c. 6. Arrianus L. 2. de exped. Alexandri M. p 126. idem de bell. Hispanico p. 125. Macrobius. Saturn. L. 1. c. 20.

gionem ab ipsis Apostolis didicit, nam quod eam *S. Jacobus* in Hispania docuerit, clarius est, quam ut probare oporteat: imo quod ipse S. *Paulus* Apostolus ibidem docuerit in sua Epitola ad Romanos, *a*) in Hispaniam se profecturum affirmat. Praeterea quod Apostoli Roma in Hispaniam miserint *Torquatum*, *Isefontem, Cecilium Eufrasium* et alios, venerabilis *Beda* et *Usuardus* in Martyrologio probant. Quod S. *Petrus* Apostolus Episcopos in Hispanias mittere praeceperit, qui eos Christianam religionem docerent, scribit *Clemens*, *b*) unde S. *Hieronymus* Hispanicarum Ecclesiarum honorificam facit mentionem. *Tertullianus* vero ad Judaeos scribens dicit: in omnibus Hispaniarum terminis suo tempore *Christum* fuisse annunciatum; quae religio licet ibi egregie constitisset, Gothi tamen eam haeresi Arriana misere corruperunt; deinde Agareni et Saraceni jam labefactatam plane oppressissent, nisi *Carolus M.* et successive potentissimi Hispaniarum reges Religionis verae defensionem et patrocinium viriliter suscepissent, qui expulsis, inde haereticis et Paganis, per Dei gratiam eam restituerunt; unde Hispaniarum Reges *Catholici* appellantur, qui revera eam contra pertinaces adversarios fortiter conservant, et in universam fere Africam mariti-

---

a) Ad Rom. c. 15. Epiphanius haeresi. 27. S. Hieromyn. in cap. 3. Epist. ad Epheseos· *b*) Epist. 1. ad Jacobum fratrem Domini.

mam, imo et Americam maximo zelo introducunt. Nullaque existit regio, ubi tanta esset Religionis unitas, quod imprimis acceptum ferunt *Inquisitionis Triubnali*, ad cujus solum nomen trepidabatur. Hinc administratio Ecclesiae Hispaniae est talis: antiquis temporibus *Primatum* Hispaniae, tenuit *Hispalensis* Ecclesia, dein *Toletana* usque ad fatale Hispaniae excidium, nam dum Toletum Barbari in suam potestatem redegissent, *Bracariensis* Archi Episcopatus eam dignitatem obtinuit; sed postmodum recuperato Toleto, quum Toletanus amissam dignitatem repeteret, Braccarensis vero acquisitam retineret, exorta contentione in hunc fere diem sub judice lis est. *a*) Qui autem sub Romanis et Gothis fuerint Praesules docet *Vasaeus. b*) Cum autem Hispania e manibus barbarorum erepta fuisset, antiqui Episcopatus sedibus suis sunt restituti, et nonnulli recenter fundati: hinc hodie Hispania VII. Archi Episcopos habet, quibus circiter XL. Episcopi suffraganei subsunt; Primus est *Toletanus* Castellae Cancellarius, cui post Regem aut regiam prolem nullus seu dignitate seu opum affluentia comparatur, suffraganei sunt: *Burgensis* seu *Auritanus*, *Cunquensis*, *Oxomensis*, *Cordubensis*, *Jaenensis*, *Palentinensis*, et *Segoviensis*. II. Hispalensis suffraganeos habuit olim 11. nunc tantum 3. uti *Malacitanum Caditanum*, et *Canariensem*. III. Compostellanus

a) Decretalium. L. 1. *b*) Vasaeus. in Chronico suo c. 20.

nus seu olim Iriensis, cui subsunt: *Coriensis*, *Placentinus*, *Astaricensis*, *Gamorensis*, *Salmancensis*, *Orecensis*, *Tujensis*, *Pacensis*, *Mindomiensis.* IV. Granatensi cui subsunt *Almeriae* et *Guadixensis.* V. Valentinus cui suffragantur *Carthaginensis*, *Origuelle*, *Segobiensis et Balearium Majoris* VI. Taraconensis, cui subsunt: *Illerdensis*, *Tortosanus*, *Herluae*, *Barcinonensis*, *Gerundensis Urgellensis*, *et Viquensis* VII. Caesar Augustanus cui suffragantur: *Pampilonensis*, *Calagurritanus*, *Oscensis*, et *Balbastiensis.* His omnibus uti et Abbatiis et Monasteriis quanti sunt annui reditus, curiose notant scriptores. *a*) Ad statum Ecclesiasticum pertibant etiam fidei *Inquisitores* in Saracenos, Mauros et Judaeos primum instituti, dein vires suas et auctoritatem extendere coeperunt in omnes quibus alieniores mentes ab Ecclesia Romana observabant, ab istorum voluntate dependebat salus et vita omnium Hispanorum; qui etiam politica sua agendi ratione multa centena millia hominum e medio sustulerunt, aut in perpetuos carceres occultos detruserunt; quorum barbariem tandem felicissima nostra aetas a. 1822. non sine magna sanguinis effusione detersit et abolevit simpliciter. Veterum Hispanorum *mores* erant crudi, in amo-

---

a) Damianus a Goes in Hispania Episcopatus, ordines Equestres familias describit. Coloniae. 1602. in 8. Marinei Siculi. L. 22. de rebus Hispaniae memorabilibus etc.

amorem foeminarum effusi, passim unam captivam pluribus viris ementes, habitabant in cavis petris, specubus effosis. Aureis et Argenteis numis non utebantur: jam parvuli discebant jaculari. Hispanis natura calida est, color subobscurus, cui juvando faeminae minio utuntur, superstitione cunctos superant, adulationes et amplos titulos amant, animi sensus simulando celant, gravitatem servant. Faeminae non adeo sunt foecundae, vino plurimum abstinent; apud exteros alter alterum laudat, extollit, justitiae cultores maximi, jus aequaliter omnibus administratur, latrocinia pauca committuntur: magna semper moliuntur; ubi duo, aut plures conveniunt de republica, gravissimisque rebus disserere amant; pulchris et commodis utuntur vestibus etc.

§. 3. *Status Politicus et Forma Regiminis Hispaniae.* Missis antiquissimis Hispaniae regibus, rebusque ab iis domi militiaeque gestis, brevibus Historiam Hispanorum quod ad statum Politicum in quatuor Epochas dividimus, prima complectetur statum antiquum sub Carthaginensibus et Romanis. Secunda sub Gothis. Tertia sub Saracenis. Quarta sub Monarchis. I. *In Statu antiquo* Hispaniae divisa fuit in varias parvas respublicas, quare etiam continuis aliorum populorum insultibus exposita, saepe funestissime devastata in predam aliarum gentium cessit; ex his primarii erant *Celtae* qui cum *Iberis* conjuncti, mox sibi et regioni *Celtiberiae* nomen de-

dederunt. Quum autem in Hispania longe lateque dominarentur Carthaginenses aliique Africae populi potiorem Hispaniae partem subigentes, primi Romanos in se concitarunt, a quibus victricibus armis victi et expulsi, totam Hispaniam amittentes, in provinciam redacta est. Hoc tempore Romani a. u. c. 560. universam Hispaniam in tres Provincias diviserunt uti: *Baeticam*, *Lusitanicam* et *Tarraconensem*, quibus proprios conventus attribuerunt: *a*) et quidem *Baeticae* erant quatuor: *Caditanus*, *Cordubensis*, *Astigitanus* et *Hispalensis.* Lustitania habuit tres, *Emeritensem*, *Tacensem*, *et Scalabitanum.* Tarraconensis vero habuit septem: uti *Tarraconensem*, *Carthaginensem*, *Caesar Augustanum*, *Cluniensem*, *Asturum*, *Lucensem*, et *Bracarensem*, a quo tempore mutatis licet non parum rebus, nobilissimae Hispaniarum provinciae Romanis Consulibus paruerunt usque ad a Ch. 394. seu *Theodosii M.* mortem, qua aetate plures Germanicae originis populi, Gothi, Vandali, Svevi, Alani, imo et Hunni emigrantes, in perniciem Romanorum excubabant: quia e *Stilicone* in Gallias evocati, ruinam Imperii Romani Occidentis accelerarunt. *b*) Gothi enim Pyrenaeos transgressi Hispaniam Romanis ereptam, deinceps permultos

---

a) Plinius. L. 3. Strabo. L. 3. *b*) Isidorus. in chron. Gothor. et in Historia Svevorum. Jornandes. c. 44. de reb. Goth.

tos annos obtinuerunt, sub quibus II. *Status Hispaniae* talis erat: Gothici regni conditor erat *Alaricus*, cujus Imperium dein maxime floruit sub *Reccaredo* Rege; verum sensim Gothis a majorum virtute deflectentibus, et ad mollitiem delapsis, res Gothorum sub *Vitvia* rege inclinari coepit; sub *Roderico* vero plane exstinctum est; sub eo enim *Saraceni* Africae littora incolentes, Hispaniam variis irruptionibus fatigatam, cum valida manu agressi, Rege *Roderico* caeso, totam Hispaniam subjugantes, finem Imperio Gothico posuerunt, *a*) quod fere 300. annis inconcussum stabat usque an. Ch. 714. Hinc *Status III. Hispaniae sub Saracenis considerandus est.* Cum Saraceni Hispaniam magno fervore occupassent, Gothorum reliquiae in regiones ad Pyrenaeos sitas se recipientes, repulsis viriliter Saracenis, priscam possessionem in Asturia et Biscaja retinuerunt, duce *Pelagio* qui primus Asturiae rex erat; successive autem alias etiam Hispaniae Urbes et regiones Saracenis ereptas in unum regnum et familiam conjunxit *Sanctius Major* Rex Navarrae, Arragoniae et Castellae; quo facto de evertendo imperio Saracenorum seu Maurorum nec quidem dubitatum erat: Verum brevi post *Sanctii* mortem, dum regnum inter ejus quatuor filios divideretur, gravissima seditione et internis bellis cuncti agita-

gita-

a) Roder. Toletanus. L. 6. c. 31. 32.

agitabantur Christiani Principes, donec tota Hispania in duo majora regna fuisset redacta, nempe *regnum Castiliae et Arragoniae*, quo tempore Regum potestas jure Comitiorum quae *Cortes* vocabantur constricta fuit, uti et variis ordinum privilegiis, v. g. jure emigrandi. *Ordines* autem constituerunt Praelati, Nobiles, Equitum Ordines, et legati Civitatum. In Arragonia praecipuus Magistratus vocabatur *Justitiarius Magnus*, qui erat vindex legum, et in eligendo rege magnae auctoritatis. Quo in Statu *Alphonsus* Rex leges a majoribus suis in Hispaniis latas, cum variae admodum et confusae essent, per Doctissimos Viros in certum Ordinem redegit, et septem integris libris quam commodissime digessit. *a*) Porro haec Hispaniarum divisio in duo dicta regna duravit usque ad 1469. Quo *Ferdinandus Catholicus* rex Arragoniae matrimonio junctus erat cum *Isabella* Castiliae principe, quo felicissimo connubio, omnes Hispaniae provinciae Christianae in unam *Ferdinandi* familiam coaluerunt. Unde IV. *Hispaniae Status* evasit talis: *Ferdinandus* enim auctus potentia et regnis, se *Regem Hispaniae* vocari jussit; Veteres autem Regum Castellae, Legionis, et Arragoniae tituli sensim exoleverunt. Quibus in circum stan-

b tiis

---

a) Antonius Panormitanus. L. 1. de gest. Alphonsi Regis. c. 5. Volaterranus. Didacus Couaruvias. practicarum quaestionum. c. 6.

tiis *Ferdinandus* Jura Majestatica ad se traxit, Bona regni olim per Reges donata, aut vendita recipiendo; dignitatem *Magni Magistri* trium celeberrimorum Ordinum Equestrium ad se transferendo, Civitates cum Proceribus et nobilibus ob antiqua privilegia contendentes fovendo. A quo tempore Regum successio non electiva, sed hereditaria ad primogenitos pertinet: coronatur tamen rex, et Iuramentum dicit de servandis regni constitutionibus, prout a populo accipit fidelitatis juramentum. Regum filii *Infantes Hispaniarum* vocantur, inter quos primogenitus omnium procerum et populorum jurejurando rex vivo patre designatur, et *Hispaniarum* seu *Asturiae Princeps* dicitur. Quamvis autem suprema sit in omnes et omnia Regis potestas, nihil tamen fere decernit sine XII. Virorum consilio, qui *Senatum Regium* constituunt: ibi enim graviora negotia ventilata terminantur, et dein in *Secretiore consessu* discutiuntur, quem consessum constituunt ipse Rex, Dictator Legionensis, Praeses, et tertia Consilii regii pars. Negotia quae ad Indiarum gubernationem pertinent, tractantur in *Senatu Indico*, qui constat ex Praeside et 12. Consiliariis. Bellica negotia in *Senatu Bellico* tractantur, quem statuunt 12. Viri Senatus regii, item Dictatores Legionensis, et Castellanus. Sunt praeterea tres *Juris Praefecturae*, quas *Audientias* vel *Cancellarias* vocant, una in Castilia, alia in Granata, tertia in Galaetia est, ubique

que Praeses et 12. Senatores sunt: a quibus appellatio fit ad senatum Regium. Est etiam *Thesaurarius Castellanus* qui sub se habet quatuor *Quaestores*, qui pecunias regni tractant, et de eis rationes reddunt. Ceterum mortuo *Carolo II.* sine haerede, magna controversia de *jure successionis Hispanicae* orta fuit, inter *Ludovicum XIV.* Galliae regem, et *Leopoldum* Germaniae Imperatorem, qui *Philippi IV.* Hispaniae regis filias in connubio tenentes, de jure successionis Hispanicae disceptare statuerunt; quo bello durante Hispania ad semel duos Reges habuit, nempe *Philippum V.* Principem Andegavensem cuius regia sedes erat *Madritum. Carolus* III. Hungariae rex, et hoc nomine VI. Imperator Germaniae, *Leopoldi* alter filius Regiam sedem habuit *Barcellonae* usque 1711. quo anno Imperator electus, tandem contentionibus finem imposueruunt pace *Ultrajectina* 1714. vi cujus *Philippus V.* Regnum Hispaniae et Americam retinuit. *Carolus VI.* Imperator vero provincias antea Hispaniae subjectas acquisivit, uti Belgium Hispanicum, Regnum Neapolitanum, Sardiniam, et Ducatum Mediolanensem. Ceterum excitata a Gallis revolutio non parum interturbabat etiam Hispaniae statum, nam *Napoleonis* artibus in regia familia Hispanica excitatae contentiones opportunam occasionem praebuerunt Regiam familiam throno deturbandi, et fratrem suum *Josephum* Hispaniae regem jure haereditario con-

stituendi; unde cum familiae Borbonicae amici solium Hispaniae eversum esse cernerent, fortiter resistentes, arma *Napoleonis* ex Gallia in Hispaniam exciverunt, qui etiam cum formidabili exercitu 1808. *Madritum* veniens, fratrem in solio stabilivit, Tribunal Inquisionis, sustulit, ordinum religiosorum Monasteria complura, uti et nobilium privilegia abolevit. Cujus fortuna ubi mutata fuisset, *Ferdinandus VII.* Throno restitutus, quoniam diversas factiones de forma regiminis inter se dimicantes inveniret, propositas sibi ab Ordinibus Hispaniae conditiones ratas habuit: tres enim vigebant de forma regiminis factiones. I. Regem plena potestate praeditum uti antea erat, habere voluit. II. Regem Constitutionibus circumscriptum esse volebat. III. Rempublicam inducere intendebat sub directione *Cortes.* et hi duo postremi *Liberales*, primi vero *Roalistae* vocantur. Tota tamen haec factio Hispanica suppressa potius, quam extincta est viribus Gallorum; *Ferdinandus* enim VII. post multas etiam vicissitudines foederatis Principibus solio paterno restitutus est,

§. 4. *Status Belli et Memoria Principum Virorum in Hispania.* Antiquissimi Hispani bellum quam otium amabant adeo, ut si extraneus deesset, domi hostem quaesiverint; feminae enim res domesticas agrorumque culturas administrabant, ipsi armis et rapinis servientes

vientes praecipuam ferri curam habebant, *a*) unde *Livius* scripsit: Clarissima viris et armis Hispania, quae si vires suas cognovisset, facile in imperium evasisset. Interim tamen incerta sunt omnia ea, quae de antiquis Hispaniae regibus, ab iis domi militiaeque gestis passim scribuntur. Dicunt enim primum regem Hispanorum fuisse *Tubal*, cui sufficiuntur: *Iberus*, *Jubalda*, *Brygus*, *Tagus*, *Baetus* et alii, qui an reges, vel nomina solum fluviorum erant dubium est. Certiora censentur ea, quae a Carthaginensibus, Romanis, Gothis, Vandalis, Alanis, Svevis, et Saracenis memoriae consignarunt Scriptores, qui partim soli rerum inspectores, partim fidelissima aliorum relatione cognoverunt; quorum testimonia brevibus enumerabo: Quum in Hispania Carthaginenses seu Poeni aliique Africae populi late dominarentur, primi contra eos a Populo Romano missi sunt cum exercitu *Cornelii Scipiones* belli secundi Punici initio, qui etiam septimo belli anno caesi sunt; dein submissus *Cornelius Scipio Africanus*, qui multa ibi prospere gerens primus ibi provinciam fecit. Demum *Coecilius Metellus* cum Carthaginensium ducibus *Asdrubale* et *Magone* a. n. 542. ad Urbem *Baetulam* Andalusiae fortiter pugnans, iis ex tota Hispania pulsis, amicitiam cum *Syphace* Massylorum rege

---

a) Justinus L. 44. c. 3. Rodericus Sanctius. Hist. Hispaniar. part. 1. c. 4.

ge iniens, obtentam iam Hispaniam amplius ſirmavit; et brevi rebellantes Hispaniae populos ad deditionem compulit. Post hunc *Lentulus* Hispaniam obtinuit, a. u. 559. post tres annos duo novi Praetores missi in Citeriorem et ulteriorem Hispaniam, ubi quum continuo glisceret bellum, varias victorias ipse *Caro* reportavit; XXX. enim et ultra triumphi memorantur: Stipendium tamen primo sub *Augusto* solvere coeperunt. *a*) Sub *Vespasiano* et *Domitiano* Hispania fuit divisa in Baeticam, Lusitanicam et Tarraconensem provincias, *Hadrianus* vero in Sex partitus est, qui natione Hispanus erat, una cum *Trajano* Imperatore, a quo tempore Hispania per varios Romanorum Legatos regebatur, usque ad *Theodosii* et *Honorii* aetatem; quo tempore Vandali, Svevi, et Alani ab *Stilicone* in Gallias evocati, cum Rheno adjacentes provincias jam barbarorum immanitate devastassent, ab Gothis quos *Honorius* miserat tantisper repressi, Pyrenaeos transeuntes, Hispaniam Romanis ereptam, multis annis tenuerunt. Nunc Gothi Galliam incolentes, a Francis bello petiti, in Vandalos arma verterunt; Sic Gothi e Galliis ejecti, mox Svevis ad internecionem coesis, Vandalos, et Alanos ex Hispaniis ejecerunt; qui Vandali recte a *Bonifacio* in Africam invitati, totam Hispaniam Gothis reliquerunt, qui pul-

a) Roderius Ximenes, Rodericus Sanctius, et Joannes Mariana Celeberrimi. Plin. L. 3. Strabo. L. 3.

sis inde praesidibus Romanis, regnum sibi condiderunt, sub rege *Alarico* a Ch. 507. quod sub *Reccaredo* florens, tandem post ducentos et amplius annos sub *Roderico* (* *exstinctum* est ad a. 714. per Saracenos, qui alias *Mauri* dicebantur, qui subacta Hispania, rem Gothicam in plura regna distraxerunt. Bello superstites quum in Austrum, Cantabrorum et Gallaecorum montibus semet munivissent, paulatim amissas regiones urbes et castella recuperarunt, et Saracenorum res utcunque contraxerunt; sic *Saracenorum* regna erant: Corduba, (ubi summus Califatus fuit) Toletum, Granata, Valentia, Murcia, *Christianorum* vero Asturia, Legionense, ex cujus parte Portugallia enata est, a. 1139. (cujus primus rex *Alphonsus VIII.* erat) Castilia, Navarra, Arragonia, Suprarbia, etc: Postremo cum Saracenorum res in Baetica bellis civilibus concuterentur, sensim Christiani amissas provincias recuperarunt, et duo regna magna uti *Castiliae* et *Arragoniae* constituerunt, quae divisio usque ad *Ferdinandum Catholicum* permansit, qui duo illa regna per nuptias *Isabellae* conjungens, deinceps se unicum Hispaniarum regem vocari jussit a. 1479. *Causae* decrementi potentiae Saracenicae erant I. Dissensiones inter ipsos Mauros ortae, et bella civilia. II.
Quia

*) Seriem Regum Hispanorum prout Gothi occuparunt, sequentem damus: I. *Gothi Reges Ariani.* Initium Gothorum regno dedit quidem *Ataulphus*,

Quia Mauri a bellica majorum virtute multum degenerarunt, neglectis enim armis, sese penitus studiis dederunt, inter quos *Averroes* celeberrimus libros *Aristotelis* antea ignotos Arabice reddidit, et commentariis illustravit. Hac aetate complures civitates in Hispania condiderunt, quae Arabica nomina in hunc usque diem retinent; imo et hodierna lingva Hispanica non parum de lingva Arabica retinet.

Regis *Alarici* affinis, qui relicta Italia Hispaniam petiit 415. et partem occupans, suis reliquit. *Sigericus.* 7. mens. *Vallia* an. 13. — 429. Sub quo Vandali fugati, et Alemannorum reliquiae deletae sunt. *Theodoredus* usque 451. *Thorismundus.* — 452. *Theodoricus.* — 567. *Evaricus.* 483. *Alaricus* — 507. qui Romanos ex universa Hispania expellens regnum condidit. *Geselaricus* 511. *Amalaricus* — 531. *Theudiselus* — 549. multi subditorum, insidiis aut afflictis criminibus per eum sublati sunt ut eorum uxoribus abuteretur: quare Hispali inter prandendum obtruncatus est. *Agila* — 554. *Athanagildus* 568. Romanos auxiliares in Hispaniam vocavit. *Liuba* — 573. *Leovigildus* — 586. qui Corduba capta, integro Gothorum regno cum Gallia Narbonensi potitus, regnum insuper Cantabriae et Arragoniae adjecit. *Flav. Reccaredus* — 601. fidem Catholicam amplexus est, a quo descendentes Castellae reges usque ad mauros, *Flavii* cognomentum acceperunt. *Liuba II.* — 603. *Vittericus* — 610. qui *Liubam* trucidaverat ipse quoque a. 7. dum *Saguntiam* Romanis adjecisset, a suis inter Epulas, occisus, successorem accepit *Gundomarum* — 612. *Sisibutus* — 622. qui Judaeos Christianismum suscipere coegit, et Francis quasdan provincias ademit. Huic filius *Reccaredus* successit, qui sexto mense desiit. *Suintilla* et *Ricimerus* — 631. solus totam Hispaniam obtinuit, hinc non solum Prin-

Princeps sed et Pater pauperum dictus, mox tamen a *Sisennado* 636. dejectus, post quem *Chintilla* — 640. et *Tulga* regnavit. — 642. *Chindasuindus* — 649. *Ricisuindus* — 672. quo mortuo *Vamba* nobilis rusticus ab aratro ad sceptrum vocatus, legatis reposuit: *quando hic baculus* (stimulus erat quo boves agebat) *germinabit frondes et fructum, tunc ego Vester rex ero!* quo miraculo petito confirmatus, sceptrum acceptavit: et *Hildericum* Comitem, item *Paulum* ducem suum aemulos vicit, Astutes et Vascones domuit; 270. naves Saracenis eripuit et combussit, tandem 680. ab *Ervigio* qui post eum regnum obtinuit, veneno sublatus est. *Ervigius* — 687. post quem *Egica* gener regnavit — 701. qui Judaeos omnes quod regno insidias struxissent, bonis fisco addictis, in servitutem redigens, eorum filios septem annos egressos Christianis tradidit. Cujus filius *Vitiza* libidinibus inquinatissimus lege permisit ut sacerdotes concubinas alere possint; simulque crudelis, demum suorum rebellionem veritus, muros urbium demtis tribus dejici curavit, quo facto saracenis amplissimam paravit viam; ob quae scelera oculis privatus est. 711. *Rodericus* a Saracenis seu Mauris Africanis post varios conflictus cruentissimo proelio victus, ex utraque enim parte septies centena millia virorum caesa fuisse dicuntur, qua pugna ipse Rex, omnisque nobilitas Gothorum cecidit; Hispania tota a Barbaris subjugata praeter Astures et Cantabros. *a*) 714. Post fatale excidium Hispaniae, *Pelagius* ex regio Gothorum sangvine, ad Asturiorum montes profugiens, ad amissam libertatem revindicandam residuos Gothos excitavit, quorum viribus 20. millia hostium profligans, novum *Asturiae* regnum condidit ad a. 717. regnavit usque 737. *Garsia* autem

---

a) Roderic. Toletan. L. 3. c. 17. P. Aemilian. Lipsius in Mon. L. 1. c. 5. Vasaeus in Chron. Calvisius. in Chronol.

tem *Gothus Aynsa* urbe Saracenis erepta, fundamenta regni *Suprarbiensis* posuit 724. *Pelagio* successit filius *Favila*, ei vero post biennium *Alphonsus I.* 739. gener *Pelagii* qui Saracenorum vires non parum conterens Christianismum reduxit, *Catholici cognomen* meruit. *a*) Huius filius *Froila* Saracenorum principem *Jozephum* in Gallaeciae finibus praelio fudit, cui substitutus *Abderamen* qui se Regem *Cordubae* scripsit. *Froilam* vero frater *Aurelius* 768. vita et regno spoliavit. *Garsiae* successit filius *Garsias* in regno Suprarbiensi. Cum vero Arragonenses duce *Azare* jugum Saracenicum excussissent, *Alphonsus Silo* tutore mortuo 783. a *Maurogato* patruo regno exutus, hic Mauris annuum tributum puellarum pendit, usque an. 789. Cui successit filius *Veremundus* ab *Hissemo Abderamenis* successore victus, *Alphonso II. Casto* regnum tradidit, qui dum Saracenis pactum tributum, *b*) nempe praeter servos et nobiles, etiam *Centum Virgines* dare nollet, exorto inde bello, Saracenos capta *Ulyssibona*, caesisque 70. millibus superavit; cumque *Hissemo. Alhaca* successisset, hunc quoque *Alphonsus* insigni clade afficit, cui mortuo 842. successit *Ranimirus*, qui pugna *Calvijana*, 60. millia Saracenorum prostravit; postea Hispaniae rempublicam ad meliorem statum perduxit; conjuratis veniam concessit inquieus: *dono vobis vitam, experiarque an vincam beneficiis, quos minis et terroribus flectere non potui.* longe pejoris fortunae erat *c*) *Sanctius* Suprarbiensis rex, quia a Mauris victus trucidatus, regnum Navarrae ac Suprarbiae amisit. Interim *Ranimiri* filius 850. *Ordorius* regnum obtinens dum Toletanos adversus *Mahometem* defenderet, magna detrimenta accepit. *d*) Cuius successor, 866. *Alphonsus M.* plurima millia

---

a) Vasaeus. in Cron Hispaniae. *b*) Aemilian. L. 3. Rhegino L. 2. Calvis. in Chron. *c*) Rodern. Toletan. Vasaeus Aimoinus L. 5. *d*) iidem et Polydor. 5.

lia Saracenorum prostravit; quo regnante usque 910. primus rex Arragoniae et Pampeloniae factus est *Abarca*. Tandem *Alphonsus* a filio *Garsia* nefarie regno depositus. *Garsiae* post triennium mortuo successit frater *Ordonius* 913. contra Saracenos felix, nam prope *Castellam* 70. millia trucidavit, *d*) et *Almansorem* in fugam conjecit, 923. Sedem *Oveto* Legionem transtulit, unde etiam Rex Legionensis dictus est: sed sicut ipse Saracenos ex Gallaecia ejecit, ita etiam Cantabriae partem amisit. Successit dein *Froila II.* — 925. *Alphonsus IV.* ad 928. qui dum se Monachum vovisset, mox a *Ranimere* fratre vi in Monasterium detrusus est. *Ranimirus* vero 80. millium Saracenorum caede imperium illustrans, filium suum *Ordonium* 950. successorem reliquit, qui toto quinquennio fratris sui *Sanctii* seditionibus agitatus, regnuum eidem redere debuit, sed et hic multum vexatus, demum venenato pomo sublatus est, 967. relicto filio *Ranimero III.* interquae *Alhaca* Saracenorum rex, multa bona comiti Castellae ademit. Verum *Raminirus* quum se insolentius gereret, a Statibus regni depositus 985. et *Veremundus* ejus frater rex creatus, quem licet ad Saracenos victum fugasset, inopinate tamen ex vita decedens, ei thronum concessit. Quo tempore Saracenis mortuo *Alhaca* dominabatur *Hissem*, cujus tutor *Almansor*, Spatio 26. annorum 52. expeditiones in Christianos suscepisse dicitur. Exorta enim civili dissensione, regnum Legionense et Gallaeciae Saraceni occupantes, tandem alii evigilantes, feliciter *Almansorem* trucidatis 70. millibus profligarunt et amissa recuperarunt. *Veremundum* in regimine excepit *Alphonsus V.* subquo *Almansor* Asturam obsedit, Barcinonem et Legionem expugnavit, Compostellam vero incendens campanas asportavit. Demum *Veremundo III.* 1037. *Ferdinandus M.* succedens, Legionis et Castellae

---

a) Mariana in Historia Hispaniae. Vasaeus in chron.

lae regna primus possedit, Saraceni vero dissidiis agitabantur, quibus magnam Portugalliae partem adimens, Imperatoris nomen usurpare coepit, monitus tamen a Pontifie illud deposuit. Post *Ferdinandum* 1065. filius *Sonctius Fortis* Castellae, *Alphonsus* Legionis, *Garsias* Gallaeciae Rex factus, imo post mortem *Ranemiri* etiam Arragonia cessit *Sanctio*, qui his non contentus, devictis fratribus suis, eorum quoque regna occupavit, insuper *Alphonsum* coenobio, et *Garsiam* carceri inclusit; cumque sororibus etiam partes ipsarum eripere meditaretur, ex insidiis interfectus est 1072. Qua occasione *Alphonsus* regnum recipiens, mox *Toletum* Saracenis eripuit, et sedem suam eo transtulit. *Alphonso VI.* mortuo, filia ejus *Urraca* nupsit *Alphonso* Arragonio, qui Legionis et Vasconum regnum conjunxit, ultimumque Regem Maurorum occidit. Inter quae *Henrico* comite Portugalliae defuncto, omnes Portugalli filium ejus *Alphonsum* in regem coronarunt 1139. atque hic *Alphonsus* est primus Lusitaniae seu Portugalliae rex ab exercitu etiam creatus, cujus electio ab *Alexandro III.* quoque Pontifice 1172 confirmabatur: ac proin in eo factum est initium Regni Portugalliae: qui revera magnus pugnator, trigesies cum Mauris pugnasse scribitur, et quinque regulorum signis potitus, inde etiam *in insignibus ejus regni, quinque scutulae sunt;* Ulyssibonam etiam per socios recepit; inter haec *Ranimiro* Castellae rex *Alphonsus* aliquot urbes eripiens, jussu Pontificis Imperator proclamatur; *Ranimirus* autem laborum pertaesus, regnum cum filio suo *Raimundo* comiti Bercinonensi tradens, ipse in coenobium concessit. Post tantas rerum mutationes in Hispania *Alphonso* successit *Sanctius* III. 1157. et huic post annum quadrimulus filius *Alphonsus*, cui ne *Ferdinandus* patruus regnum eriperet, ab *Abulensibus* fidelitatis Sacramentum exigit: quos ideo titulo *Fidelium* honoravit: postea Toletum recuperans, *Concham* Urbem recepit. *Alphonsus* Castellanus *Sanctio* Vasconiam adimens,

mens, brevi a Marocensi rege *Aben Jozepho*, occisis 50. millibus hominum victus omnem Baeticam amisit; quam Mauri usque ad *Caroli V.* avum tenuerunt. Tandem *Alphonsus* hic et *Petrus* Arragoniae reges cum *Aben Jozepho* inita pace, regem Vasconum et Legionis graviter oppugnantes, ejus regnum subjugatum inter se diviserunt. Post *Ferdinandum* 1252. praefuit *Alphonsus* sapiens ob insignem eruditionem sic dictus, Carthaginem, Silvam aliasque Urbes a Mauris recepit, tandem ad *Cordubam* cum Saracenis male pugnans, a filio *Sanctio IV.* regno exutus est 1284. cui post novem annos successit *Ferdinandus* qui duos fratres innocentes de altissima rupe praecipites dari curavit. *Alphonsus XI.* classem Lusitanorum vicit, sed et ipse a Mauris tanta clade profligatus est ut *Tariphae* obsidionem solveret. Similiter ejus filius *Petrus Crudelis* 1350. succedens a Mauris victus, regem Granatae interceptum trucidavit uti et *Blamam* uxorem; qua crudelitate in odium cunctorum veniens, ab *Henrico* fratre notho victus regno exutus et securi percussus est: quo tempore in Arragonia *Petrus* praefuit. In Castellae regno *Joannes* qui *Henrico* successerat, dum Lustitaniam ad se pertrahere moliretur victus est, Mauris tamen multa terra marique ademit: quo tempore agente Martino regna Arragonia, Sicilia et Sardinia conjuncta sunt. Ceterum mortuo *Joanne* 1454. ejus filius *Henricus IV.* in regno Castellae a subditis exauctoratus, demum ea lege receptus, ut sororem suam *Isabellam* haeredem scriberet, quam duxit *Ferdinandus* Arragonius, qui etiam mortuo *Henrico* mox jure Uxorio in regno successit 1474. qui Arragoniam, Legionem, et Castellam conjungens novae regiminis formae nempe Monarchice fundamentum posuit, unde celeberrima Hispanorum Epocha incipit. *a*)

Mo-

---

a) Joannes Mariana de rebus Hispaniae. Rodericus Ximenes. Rodericus Toletanus. Item Hi-

Monarchiae Hispanorum

I. *Ferdinandus Catholicus* primum rex Arragoniae, dein inito cum *Isabella* matrimonio, primus Monarcha totius Hispaniae factus, potentiae Hispaniae fundamentum posuit adeo, ut reliquae Europae plane invidiam moveret. Arragoniam et Castellam junxit; ex *Isabella* natam unicam filiam *Johannam Philippo* Austriaco elocavit, ex qua natus *Carolus* qui et Imperator hoc nomine V. haeres Hispaniae evasit. *Ferdinandus* rebus in Hispania ordinatis, quum nondum Mauri Hispania expulsi essent, mox contra *Granadenses* Mauros expeditionem adornavit 1481. expugnatisque eorum regionibus ipsam *Granadam* Maurorum metropolim, ad eas redegit angustias, ut *Boabdiles* ultimus saracenorum rex deditionem facere cogeretur; quo facto Maurorum regnum quod in Hispania 700. annos steterat *a*) eversum est. Praeterea *Ferdinandus* in Africa *Pugiam* urbem expugnavit, in Numidia *Tripolim* cepit, Vasconum regem fugavit; *Joanni Labretano* regnum Navarrae ademit quod Pontificem bello lacesseret, bello Italico regnum quoque Neapolitanum

---

spanicarum omnium Historiarum Speculum. Viennae 1634. in 4. Petrus Matthaei. Hist. Henrici IV. L. 1. Philip. Cominaeus de bell. Neapolitano.

a) Mariana. de reb. Hisyan. Thuan. L. 1. p. 5. c.

num occupavit. Instituit *Inquisitionem Hispanicam* 1478. contra Mauros et Judaeos, qui per simulationem sacra Christianorum amplexi, denuo oculte ad antiquam impietatem relaberentur; quae Inquisitio successive horrendum tribunal evasit. Eo regnante *Christophorus Columbus* Genuensis Astronomus et Geographus acutissimus, de novo quodam orbe disserens, a plerisque Principibus pro futili habitus, apud *Ferdinandum* tamen aliquid fidei nactus, ejus auspiciis et sumptibus navigationem instituit 1492. qui inter maxima pericula novas insulas invenit et *Hispaniolam* nominavit barbaris ipsis mirantibus; novum hunc orbem *Ferdinandus* cum *Joanne* Lusitano divisit ita, ut *Joannes* acciperet Insulas per *Columbum* inventas, ipse vero partes illas per *Americum Vesputiam* detectas, quae ab inventore *America* dicta est, alias vero *India occidentalis.* 1494. Porro per *Petrum Alvarum* invenit *Brasiliam.* Promontorium *Bonae spei*, item *Peruviam*, ubi unica argenti fodina *Patoziensis* singulis diebus supra 30. mille Philippicum dare dicitur; quibus adhuc et Fretum Magellanicum adjecit; *a*) quae omnia opibus Hispanicis maximum incrementum praebuit. Quibus curis intentus *Ferdinandus*, tantas suas ditiones nepoti suo *Carolo* adhuc juveni sub tutela *Ximenii*

a) Benzo. L. 1. c. 5. Petrus Maffaeus. L. 2. Josephus Acosta. de nat. nov. orbis L. 4.

nii Cardinalis relinquens, ipse exacto 42. annorum regimine obiit 1516.

II. *Carolus I. Ferdinandi Catholici* ex filia nepos, fuit in Europa potentissimus rex, et etiam Germaniae Imperator nomine *Caroli V.* qui maximam vitae partem in peregrinatione et bellis consumpsit; qui ob nimiam potentiam toti Europae formidabilis esse coepit; nam praeter Hispaniam, Americam, et haereditario jure acceptas 17. Belgicas et Burgundicas provincias, etiam Imperatoria dignitas 1519. ei delata est, cui nascenti potentiae mox egregie se opposuit *Franciscus* I. Galliae Rex, sed quum Papiam et Mediolanum obsideret, commisso decretorio proelio victus et ipse *Franciscus* in Hispaniam *a*) captivus 1522. abductus, nonnisi durissimis conditionibus libertatem recuperavit ea lege: ut Ducatum Burgundiae victori *Carolo* traderet, Flandriae et Artaefiae, omnique juri quod in Mediolanum et Neapolim haberet renunciaret, et filios suos obsides daret. Ceterum libertati restitutus, societate cum Anglis, Venetis, Helvetiis et Florentinis inita, arma resumens, aequioribus conditionibus 1529. pacem obtinuit. Cum que durantibus his bellis Gallicis, Romanum Pontificem *Clementem VII.* conatibus adversari intelligeret, Romam cum exercitu profectus, urbe direpta, Pontificem in Arce S. Angeli obsessum

a) vide in Rom. Germ. Imperio.

sessum ad deditionem coëgit. *a*) Inde Principes Protestantes oppressurus, *Joannem Fridericum et Philippum Magnanimum* una cum foederatis profligavit; verum cum novo Saxoniae Electore *Mauritio* versa fortuna pugnans, in angustias redactus, pacem sacram Protestantibus dare cogebatur. Nec feliciora bella cum *Henrico II.* Galliae rege gessit. Verum in India Occidentali feliciter Imperii fines dilatabat licet maxima Hispanorum crudelitate; nam ex tribus millionibus quos sola Hispaniola habebat, vix tercenti restabant. *b*) Aliae vero Insulae uti: *Cuba*, *S. Joannis*, *Jamayçae*, *Lucajae* et aliae, plane habitatoribus vacuae cernebantur; affirmant enim scriptores, inde a primo Hispanorum ingressu, spatio 40. annorum ultra XII. milliones periisse. Unde Insulae *Cubae* Dynasta *Cacycus* dum palo alligatus excruciaretur, Monacho qui morienti aderat reposuisse dicitur: *se coelum petere nolle sed potius inferos, ne eadem illi cum hac crudeli gente, mansio communis esset.* Tandem *Carolus* dum Hispaniam cum adnexis regnis et provinciis in filium *Philippum* transtulisset et imperio valedixisset, in monasterio mortuus est 1558.

---

a) Thuan. L. 1. Hist. p. 17. seq. *b*) Bartholom. Casaus. Ep. in Nar. Crudel. Hispan. Indiae. Thuan. L. 16. 17. Sleidan. L. 24.

III. *Philippus II.* Monarchiam Hispanicam ad summum potentiae fastigium evexit, nam mortuo 1579. *Henrico* Cardinali Lusitaniae rege, mox ab Hispanis Lusitania subacta est, quo facto *Philippus* utriusque Indae possessionem, unde totius orbis divitiae manabant, obtinuit; quas tamen Hispanorum opes et potentias, brevi Belgarum rebellio adeo contrivit, ut merito Belgium vorago Indicarum divitiarum per 70. fere annos exstiterit; atque haec rebellio erat origo *Belgii foederati.* Offensus erat Rex etiam Pontifici, quod ei jus regni Neapolitani conferre nollet, ideo etiam per *Albanum* ducem Campaniam vastans Romam quoque obsedit; qua etiam potiturus erat nisi transactio intervenisset, *a*) In *Meninga* insula Turcis infeliciter restitit; hinc cum Gallis pacem iniens, Belgium sorori *Margarethae* ducissae Parmensi regendum commisit adjuncto ei Consiliario *Antonio Perennoto* Cardinali Granvellano. Minus feliciter bellavit etiam cum Anglis, nàm Classis quae *invincibilis* dicebatur nec parem ea aetate habuit, licet per plures annos contra *Elisabetham* Angliae reginam instructissima esset, tamen partim ab Anglis et Belgis, partim iteratis procellis deleta est; cujus invincibilis Classis interitum dum inaudivisset, summa animi tranquillitate et excelso animo in haec

a) Thuan. L. 13. — 26. Petrus Svavis. in Hist. Conc. Trident. L. 5.

haec erupit verba: quis cum ventis fluctibusque eos pugnare jussit: quibus bellis agitatus adeo aerarium exhausit, ut licet antea ditissimus in Europa Princeps fuerit, tamen moriens quinque mille millionum aureorum debita reliquerit. 1598.

IV. *Philippus III.* Jure haereditario regnum et bellum Belgicum obtinens, paterna infelicitate prosecutus est, quibus belli laboribus defessus, sumptibusque exhaustus, tandem cum foederati Belgii provinciis pacem in 12. annos fecit, 1609. Omne commercium in Indias, exceptis Hispanis et Lusitanis prohibuit *a*) Nonies centena millia Maurorum ex provinciis Hispanicis ejecit, imo ex consilio principis de *Lerma* aliorumque Ministrorum, terras eorum in solitudinem redegit; erant hi omnes a Mauris descendentes nomine quidem Christiani, non tamen vere religionem Christianam profiteri credebantur. His actis *Philippus III.* mortuus est 1621. *b*)

V. *Philippus IV.* initio statim bellum cum Batavis et Belgis foederatis tanto apparatu renovavit, ut usque an. 1648. protraheretur; quo anno cum Batavis, pax Monasterii inita est ea lege: ut septem provinciae Belgii foederati, sui juris et liberae deinceps haberentur; atque haec est origo *Reipublicae Hollandicae*, quae

---

a) Thuan. L. 126. 132. 138. *b*) Matute Pennafiel de genealogia Philippi III. edit. 1614.

etiam hodie ob divitias et potentiam, inter primarios Europae status numeratur *a*) Hinc potentia Hispanorum in deterius mutari coepit; nam *Olivarii* comitis fastu, a cujus nutu et gubernio Hispania plurimum pendebet, offensi Catalaunii et Lusitani, tantam seditionem moverunt, ut Catalaunii nonnisi undecim annorum spatio componi, Lusitani vero adhibita etiam vi nunquam subigi potuerunt, a quo tempore sub propriis regibus Lusitania seu Portugallia floret. Infeliciter etiam cum Gallis bellum gestum est, nam vi pacis in montibus *Pyrenaeis* sancitae, multa florentissima Belgii oppida, una cum Ruscinonensi comitatu Gallis cesserunt. Inter quas curas *Philippus* IV. mortuus est 1665.

VI. *Carolus II. Philippi* IV. filius, cum nonnisi quinque annos natus esset, ejus loco mater *Maria Anna* Austriaca, *Leopoldi I.* Imperatoris soror regnum administravit; qui materna cura educatus etiam dum adolevisset imbecillis Princeps evasit, continuisque bellis ac factionibus *b*) agitatus, frustra deficientes jam antea Lusitanos ad obsequium revocare studuit, cumque magnam belli jacturam secum revolvisset, tandem 1669. Lusitaniam, regnum sui juris esse declaravit. Contra Gallos etiam quoties arma sumpsit, toties

---

a) Oliverius Vredi. ubi ostenditur jus Philippi IV. Joann. Jacob. Chiffletius - Vindiciae Hispanicae. Antverpiae 1645. *b*) Georg. de Abusson. de successione Hispanica contra Gallos. Parisiis 1699.

toties succubit, ditissimasque Belgii civitates amittere debuit. Hinc *Carolo II.* regnante Hispania nimis debilitata, post ejus mortem, quoniam sine haerede 1700. decessisset, exquisitissimarum calamitatum theatrum Hispania evasit. Nam mortuo *Carolo* II. sine haerede, mox cruentissimum bellum erupit inter *Ludovicum* XIV. Galliae regem et *Leopoldum* I. Germaniae Imperatorem de jure *successionis Hispaniae. a*) Quoniam enim *Philippus IV.* Rex Hispaniae duas filias suas habens, natu majorem *Mariam Theresiam* Galliae regi *Ludovico*, minorem vero filiam *Margaretham Theresiam Leopoldo* Germaniae Imperatori elocavisset; hinc utraque Domus, de jure successionis Hispaniae viriliter disceptare statuit, et cum alter alteri cedere nollet, durante etiam lite, Hispania eodem tempore duos reges maxima etiam sangvinis effusione sinu suo tenuit, nempe *Philippum* V. Principem Andegavensem, cuius sedes *Madritum* erat; et *Carolum III.* Archiducem Austriae *Leopoldi* Imperatoris alterum filium, cujus sedes erat *Barcellona* usque a. 1711. quo anno *Carolus*

post

a) Ulricus Obrechtus. Excerpta Historica et Juridica, de natura successionis Hispaniae in Monarchiam Hispaniae. 1700. in 4. Joan. Franc. Buddeus. dissert. de testamentis summorum Imperantium. Speciatim Caroli II. Hispaniae regis. Halae 1701. in 4. Jus Austriacum in Monarchiam Hispanicam assertum, prodivit Viennae. 1702. in 8. recusum Jenae 1703.

post obitum fratris sui *Josephi I.* Imp. electus fuit Germaniae Imperator nomine *Caroli VI.* quo facto tandem diuturnum bellum, quo rara aetas cruentius vidit, pace Ultrajectina 1714. finitum est ea lege: ut *Philippus V.* retineat Hispaniam, et Americam; aliae vero provinciae antea Hispanorum imperio subjectae, uti Belgium Hispanicum, Regnum Neapolitanum, Sardiniam, et Ducatum Mediolanensem Domus Austriaca obtineat.

VII. *Philippus V.* Princeps Andegavensis e Domo *Bourbonica* post grave et diuturnum cruentumque bellum cum Domo Austriaca de successione gestum, tandem vi pacis *Ultrajectensis* Regnum Hispaniae obtinuit, quo non contentus mox Siciliae et Sardiniae regnum devastando subigens, breve admodum imperium ibi exercere potuit, nam pugna navali ad Syracusas profligatus, pace *Vindobonensi* 1725. intra suos limites se retrahere debuit; qui durante hoc bello coronam Hispaniae deponens 1724. in filium suum *Ludovicum I.* Principem Asturiae transtulit, sed is octavo imperii mense quum mortuus esset, ipse *Philippus* gubernacula suscepit: quia post varia funestissima bella cum Germanis, Italis, aliisque Europae gentibus de successione Austriaca infeliciter gesserat, obiit 1746.

VIII. *Ferdinandus II. Philippi V.* e prima uxore secundus filius, bellum Italicum pro successione Austriaca continuans, tandem pace *Aquisgranensi* 1746. felicem finem assecutus est,

est, obtinuit enim Parmam, Placentiam, et Guastallam in Italia. Post quae, curas suas ad ornandam percolendamque suam Hispaniam convertens, industriam civium varias officinas et fabricas erigendo promovit, qua via sine aggravio civium, aut auctione tributorum, exhaustum antea aerarium locupletavit; qui alias licet pacis studiosissimus esset, militiam tamen magno numero in continua exercitatione aluit; classemque multiplicavit, inter quas reipublicae curas mortuus est 1759.

IX. *Carolus III. Philippi V.* filius minor natu, ac proin *Ferdinandi II.* frater, antea Rex Neapolitanus, Siciliam obtinuit, quo rerum in statu conventio Aquisgranensis observari debuisset ita: ut in locum *Caroli III.* electi Hispaniae regis, *Philippus* Parmensis dux suum ducatum Domui Austriacae cedendo, Rex Neapolitanus eligeretur; interim quum neque Neapolitani neque Hispani in hanc conventionem consentire voluissent, *Carolus III.* sine mora filium suum *Ferdinandum* utriusque Siciliae Regem coronari jussit, quo facto ne politicum aequilibrium inter Principes turbaretur lege sanxit, ut Siciliarum regnum deinceps continuo sit distinct um ab Hispania, suisque Regibus, legibus et constitutionibus utatur: *Philippus* vero jure haereditario Ducatum Parmensem retineat: quam constitutionem Domus Austriaca quoque bello Borussico graviter implicita ratihabuit. Domesticam seditionem, ob inducendam Gallorum con-

sve-

svetudinem, et vivendi, agendi et sentiendi rationem, quam jam ejus praedecessores dudum anhelabant, nunc infausto Ministri *Squillace* consilio effectui mancipatam; cum non exigua civium caede 1766. comes *Aranda* suppressit; cujus melioribus consiliis dein *Carolus* in confoederatione Gallorum, bellum Americanum contra Britannos haud infeliciter gessit, nam licet *Gibraltariam* gravissima etiam triennali obsidione expugnare non valuisset, tamen ibi *Floridam*, in Europa vero *Minoream* Anglis eripuit, 1783. pace etiam *Versatiensi* dein stabilitam. Quibus curis confectus *Carolus* a. 1788. mortuus est.

X. *Carolus* IV. patri *Carolo* succedens, mox Gallicum bellum experiri debuit ideo, quod foederatis *Pilnitziensibus* ipse etiam accessisse crederetur; qui etiam 1793. valido cum exercitu bellum laetissimis initiis prosecutus, arcem *Bellegarde* occupans, *Perpinianam* urbem obsedit, unde tamen sequente anno ob ducum perfidiam exercitum reducere debuit, quo facto Galli Navarram et Catalauniam ferro devastantes, commissis variis pugnis, tantum terrorem Hispanis incusserunt, ut *Carolus* ob infidelitatem ducum, exortamque, imo jam grassatam in visceribus regni, imprimis *Gadibus* rebellionem, spem felicioris belli seponens, amicam potius cum Gallis pacem *Basileae* 1795. inivit, vigore cujus occupatas a Gallis provincias recuperavit, sed insulam *Domingo* Gallis cedere debuit: quae desiderata pax quoniam duce *Alcuida* fuisset pro-

procurata, ideo *Princeps Pacis* nominari coepit, et primus Minister creatus est; cujus consilio Rex omnes fidei suspectos, dignitatibus et officiis civilibus aeque ac militaribus decedere jussit; arces limitaneas firmavit, classem auxit, aerarium publicum per civilem bonorum Ecclesiasticarum administrationem locupletavit. Ceterum haec pax *Basiliensis* novo bello Anglico occasionem dedit, 1796. quod etiam in confoederatione Gallorum infeliciter gessit; nam commercium Hispanorum erat per Anglos impeditum, exercitus maritimus victus, Minorca occupata, et *Cadix* omni commeatu interclusa; quibus in adjunctis etiam Russi audaciam sumentes, varias depraedationes exercuerunt. Portugalli etiam limitum causa infesti, tandem 1801. pace *Badajocensi* compositi sunt, qua *Gordiana* limes regni ponebatur, *Olivensa* vero cum suis ditionibus Hispanis concessa est. Ceterum quum novum bellum Anglos inter et Gallos 1804. erupisset, Hispani cum Gallis societatem ineuntes, sequente anno maximo navali proelio ad *Trafalgar* commisso, foederati magna clade profligati sunt. Longe tamen majora mala sequebantur ex Gallorum exercitu, qui per Hispaniam ad subjugandam Portugalliam transiens; Hispanos, artibus *Napoleonis* ad seditionem concitabat adeo: ut *Carolns IV.* coronam filio suo *Ferdinando* tradere cogeretur, et ipse *Alcuida* Minister officio amoveretur. Quo facto *Napoleon* dudum praeconceptum suum planum, nempe *Bourbonicam*

nicam familiam solio amovendi, et fratrem suum *Josephum* in solium Hispanicum provehendi, effectui mancipare conabatur; qui dum nonnullos suae voluntati adversari intelligeret, ipse cum valida militum manu 1808. Hispaniam ingressus *Madritum* occupans, novis institutis Hispaniam moderandam statuit; et quidem eximia Nobilium privilegia, Tribunal Inquisitionis, et Religiosorum pleraque monasteria abolevit, Duces Provinciarum instituit; qui post *Napoleonis* discessum cruentissimis caedibus cum populo decertabant. Ad malorum cumulum accesserunt, Americanarum provinciarum defectiones, et pestis ex flava febri invalescens, quae multa millia hominum absumsit. A quibus intestinis factionibus tandem Hispanos tantisper relevavit virtus celeberrimi Anglorum ducis *Wellingtonis*, qui praesidiarios in Hispania Gallos variis cladibus attritos, 1813. ex tota Hispania exegit, *Napoleonem* vero alioquin a foederatis principibus fatigatum compulit ad restituendum legitimum Hispaniae Regem *Ferdinandum*: qui etiam antequam solium conscendisset, omnes conditiones sibi ab Ordinibus propositas ratas habuit; factiones tamen tripplices de forma regiminis inter se acriter decertantes supprimere non potuit, imo 1822. in apertum bellum sub nomine *Liberalium* et *Roalistarum* erumpentes, patriam funestissimis caedibus, Regiam vero familiam maximis periculis involverunt;

runt;

runt; quorum conatus, victrix Gallicus exercitus fortissimo ac celeberrimo duce *Angouleme* Principe, (qui hodie solium Gallicum sub nomine *Caroli X.* Regis feliciter conscendit) utcunque subvertit, et legitimum Regem *Ferdinandum* VII. throno repositum amplius firmavit.

§. 5. *Status Literarum et Artium in Hispania.* Sicut Religionem, ita etiam Literas primus post diluvium in Hispaniam intulisse creditur. *Tubal Noachi* nepos, de quibus *Strabo a*) sic disserit: eos Hispaniae populos qui Beticam sive Turdetaniam incolunt, reliquos sapientia excellere, memorandaeque vetustatis monumenta habere, poëmata quoque et leges versibus conscriptas a sex annorum millibus, idque ipsos ex suis annalibus referre. Quod ipsum *Annius* affirmat his: Philosophiam et Literas in Hispania fuisse septingentos fere annos antequam in Graeciam pervenirent. Idem *Annius* dicit: *b*) *Jubelda* convertitur in Latinum, magus deificae voluptatis, id est Theologus Philosophusque, qui primus Theologiam et sacra auxit. Veteres ergo Hispani in tranquillo otio ut plurimum philosophabantur, et sub praestantissimo Magistratu, de natura Deorum, Ratione naturae et virtutibus, eruditi homines statis diebus publice disserebant, ut mulieres etiam interessent. Verum post-

a) Strabo. L. 4. Geographiae. Nauclerus. S. Hieronymus partim in Genesim, partim in Ezechielem Prophetam. *b*) Ludovicus Vives ad cap. 9. L. 8. Augustini de civit. Dei.

postquam Phoenices aliique Asiae et Graeciae populi optimorum metallorum *a*) gratia frequentes in Hispaniam navigabant, simul et Asiatica scelera irruebant, liberales vero artes ut antea cultae, ita fere exstinctae sunt, quia literis perpaucis continebantur, sed auditione magna ex parte tradebantur, quod ipsum etiam *Gellius b*) judicare videtur. Sed postquam sub Romanis alma pace perfrui poterant, mox bonae etiam artes reviviscere coeperunt. Eo enim tempore Hispaniam maximis ingeniis abundavisse scriptores tradunt: nam quantum *Seneca*, *Fabius Quintilianus*, *Justinus Historicus*, *Paulus Orosius*, *Pomponius Mela*, *Averrois*, *Avicenna*, *Columella*, *Higinus Sedulius Raimundus Lullus*, *Rasis*, *Fulgentius*, *S. Laurentius*, *Vincentius*, *Dominicus*, *Isidorus*, *Vives*, et alii rem Literariam et religionem promoverint, nemo est qui ignoret. Ceterum licet indefessa istorum Virorum industria culturam Hispanorum clare ostendant; tamen successive Gothorum, Agarenorum et Saracenorum tyrannide et furore denuo funditus perierunt adeo: ut tenuis admodum veterum temporum notitia Graecis latinisque literis consignata superesset. *Panormitanus a*) enim testatur: quod *Alphonsus* Rex Hispanos summo labore ad studia literarum revoca-

ve-

---

a) Hieronymus. Praefat. L. 2. in Epist. ad Galat. *b*) Gellius. Noctium Atticarum. L. 19. c. 9. *c*) Antonius Panormitanus. L. 1. de gest. Alphonsi regis c. 5.

verit, a quibus iam quingentos ferre annos sic abhorruerant, ut qui Literis operam darent, propemodum ignominia notarentur. *a*) Quare *Alphonsus* pulcherrimas exstruxit scholas, et omnium Literarum atque artium doctissimos Professores ex universo christiano orbe magnis stipendiis evocavit; pauperioremque juventutem liberaliter institui curavit, imo plurimos Romam atque Lutetiam, ut absoluti Philosophi et perfecti oratorrs evaderent, mittebat. Postremo ut ipsa quoque plebs erudiretur, *Senecae* et aliorum Philosophorum libros in Hispanicum sermonem verti curavit. Insuper singularis eorum Patronus fuit qui Theologiae operam darent, quorum et praelectionibus ipse frequenter intererat. Cujus institutione et Successorum, celeberrimae exstiterunt in Hispania Academiae, quas florentissimas fuisse, Doctissimorum virorum in omni artium genere superioribus etiam seculis editi libri manifeste probant. Celebriores igitur Academiae erant: *Caesar Augustana* in Arragonia. *Complutensis* Castellae exstructa 1517. *Compostellana* in Gallicia. *Gandiana* in regno Valentiae. *Granatensis*. *Hispalensis* antiquissima Universitas, ex qua celeberrimi viri prodiverunt; hic enim *Sylvester* II. Pontifex fuit

---

a) Antonius Panormitanus L. 1. c. 6. refert: cum audiret Alphonsus quemdam Hispaniae regem dixisse: non decere Principem scire Literas, respondit: eam bovis, non hominis vocem fuisse.

fuit eruditus; *Avicenna* Medicus, *Leander*, Doctissimus *Isidorus* Hispalensis hic floruerunt, exstitit hic etiam celebris Bibliotheca. *a*) Academiae *Ileridensis*, cujus et *Julius* Caesar meminit. *b*) *Majoricana* seu *Lulliana*. *Onnedensis* in Cantabria. *Oscana* quam *Sertorius* exscitavit referente *Plutarcho* ante adventum *Christi*. *Ossunensis* in regno Granatae. *Salmanticensis* Castellae. *Segvensana* Castellae. *Toletana*. *Valentina* jam florens 1470. etc. Ex quibus Doctissimi viri, maximique nominis scriptores prodiverunt. Signanter Geographicum Hispaniae stastum illustrarunt: *Ludovicus Nonius* Antverpiae 1607. in 8. *Martinus Zeilerus* Amstelodami 1656. 12. *Paulus Merula* Amstelodami 1636. 12. *Contarini* Parisiis. 1691. 12. Germanice prodivit Lipsiae 1694. *Joan. Makle* Frankfurti 1667. 12. *Joan. And. Bosius*. Helmstadtii 1702. 4. *Adolphus Occo* Heidelbergae 1596. fol. — Ad Historiam faciunt praecipue: *Hispaniae illustratae* Tomi duo, ex Bibliotheca *Roberti Beli*. Francofurti 1579. fol. postea Frarcofurti. 1603. fol. Continentur iisdem *Marii Aretii* Chronographia. *Joann. Margarini* Paralipomenon Hispaniae Libri 10. *Roderici Sanctii* Historiae 4. partes. *Alphonsi a Carthagena* Anacephalaeosis. *Marinaei Siculi* Lib. 22. *Franc. Taraphae* Liber. *Joan. Vasaei* Chronicon. *Laurentii Vallae*

L.

---

a) Joan. Sixtus. L. 2. Bibliothecae Sanctae. *b*) Ilerdam vocat. L. 1. de bello Civili.

L. 3. *Aelii Antonini* decades duae. *Alvari Gometii* Lib. 8. et aliorum. Tomus III. *Hispaniae Illustratae* prodiit Francofurti 1603. fol. in quo continentur Indices rerum ab Arragoniae regibus gestarum. *Gaufredi Malaterrae* Lib. 4. *Alexandri Coelesini.* Lib. 4. *Bernhardi Gomesii* et *Hieronymi Blancae* Commentarii, Genealogiae Tabulae. etc. Inter Scriptores prae ceteris aestimandi sunt: *Rodericus Ximenes*, *Rodericus Sanctius*, et *Joannes Mariana.* Sunt etiam alii Scriptores Hispaniae, uti *Antonius Brignous. Florian. a Campo. Ludov. Lopetz. Bernard. Justinianus. Petrus Bombinus. Claudius. Clemens. Stephan. Garizay. Michael du Verdier.* Prae aliis aestimandus Don *Diego Saavedra Taxardo.* Sunt etiam qui particularem Hispaniae Historiam scripserunt uti: *Caspar Scioppius. Hieron. Surita. Lucius Merinaeus. Franc. Diegus. Petrus Marca. Jacobus Bracellus. Carolus Ferrardus. Gregorius Laetus. Antonius de Corduba. Didacus Mendoza.* etc. *Cerrera Turianus* quos omnes in Latinum sermonem transtulit *Franciscus Guillimannus* Friburgi 1608. 12. Statum Politicum Hispaniae scripserunt: *Camillus Robellus. Georgius Lopetz. Jacobus Mainoldus.* Praestantissimus *Joannes Valdesius. Joan. de Laet. Thomas Campanella. Ludovicus Molina. Eritus Puteanus, Damianus a Goes.* De Jure successionis Hispaniae scripserunt: *Anonymus* Gallorum. *Georgius de Abusson. Ulricus Obrechtus. Joan. Franc. Buddeus* etc. etc.

Ca-

Caput II.

Exhibens Historiam Portugallorum, ab a. 1139. *usque ad nostram aetatem.*

§. 1. *Statistico Geographica notio Portugalliae.* Portugallia olim *Lusitania* fuit vocata a *Luso* Liberi filio, cujus regio fuit. *Marcianus* tamen putat Lusitaniam a fluvio cognomine qui nunc *Tagus* est. Portugallia autem appellari coepit a *Portu Gallorum*; vel juxta alios a *Portu Cale.* Ceterum Portugallia ab Occasu et Meridie Atlanticum Oceanum respicit, cujus ambitus censetur 880. milliarium. In hac regione optima aëris temperies, coeli serenitas et ubertas est; abundat vino, oleo, malis aureis, citreis, amygdalis, melle, cera; Incolae ex agris suis tantum frumenti colligunt, quantum ipsis ad vitam sufficit; ex Gallia tamen et Germania non parum frumenti advehitur. Plurima alit pecora, equos veloces. Portugallia inde ab immemoriali tempore, sub Hispaniae nomine veniebat, primum

mum autem regni initium sumit ab an. Ch. 1139. quo anno *Alphonsus* antea Dux, relata de Mauris victoria, ab exercitu *Regis titulum* accepit. Ab hoc tempore tres praecipuae Periodi in Historia Portugalliae notantur: I. periodus comprehendit statum regni sub propriis Regibus ex familia *Alphonsi* immediate per lineam masculinam ortis. II. sub Imperio Hispaniae sub tribus *Philippis*. III. Sub propriis iterum Regibus e *Domo Brabantica*. Sub *Alphonso* III. accessit Portugalliae etiam regnum Algarbiae titulo uxorio. Sub *Emanuele* vero Rege Brasilia in America detecta, cum amplissimo commercio etiam Lusitanis cessit, sub quo ad summum felicitatis gradum evecta fuit Portugallia, cujus Metropolis est *Ulyssipona* seu *Lisabona* habens emporium nobilissimum divitiis affluens, mercium peregrinarum celebre; portas urbis 38. Turres murorum 77. Paroeciae 25. et complura Monachorum Claustra habet; aliae urbes sunt *Evora*, *Begia*, *Caetobriga*, *Cascalae*, *Bethleem*, *Leiria*, *Tomar*, *Guarda*, *Ceice*, *Coimbra*, *Viseo*, *Ponte Vouga*, *Braga* etc. Flumina sunt: *Anas* seu *Guadiana*, *Tagus*, *Mondegus*, *Durius*, *Minius*, portus *Setubal* celebratur; *Montes* pauci plerumque nemoribus consiti, in Silvis Principes venari solent. Sunt hic et Academiae. Generatim Portugalli sunt fortes, veloces, agiles, laboris patientissimi, de se et rebus suis magnifice sentiunt, rei navalis peritissimi, commerciis ditissimi. — Regnum Algarbiae

 no-

nomen ab Arabibus accepit, significat enim campum uberem: urbes habet *Balsam*, *Ossonobam*, *Lacobrica*, *Lagos* etc. Brasilia Metropolim habet *Rio de Janeiro*, ubi hodie coronae Princeps habitat. *a*)

§. 2. *Status Religionis et Consvetudinis Portugallorum.* Portugalli eandem cum Hispanis religionem initio statim habuisse videntur; Barbaro tamen in statu Lusitani immolaverunt *Marti* hircos, equos, et captivos homines; quin et abscissas captivorum hominum dextras Diis offerebant; Sacrificiis dediti viscera perspicere, et contrectantes ventura conjectare, ex intestinis captivorum hominum divinare; hecatombas quoque ritu Graecanico facere solebant. *b*) Insuper *Justinus* tradit *c*) Lusitanos Durio amni vicinos spartano ritu degere, duobus utentes, ungventis, ad calefaciendum ignitis utuntur lapidibus, et frigida aqua lavantur: unicus illis est cibus sed mundus et simplex. Montani glande vescuntur, quam siccatam frangunt et panes inde conficiunt; pro oleo butyrum usurpant, sedentes coenant; convivia inter consangvineos celebrantes. Destinatos neci lapidibus obruunt, aegrotos vetusto Aegyptiorum ritu in plateis depo-

---

a) Statum Geographicum Portugalliae tradit Petrus du Val. Parisiis 1664. in 12. Antonius de Vasconellis. Antverpiae. 1621. 4. Nicolaus Oliveira. *b*) Strabo L. 3. Macrob. in Saturn. L. 1. c. 19. *c*) Justin. L. 44. c. 2. Andreas Resendi. antiquitatum Lusitanicarum Tomi. 4. Coloniae. 1600.

ponunt, ut qui eo morbi genere tentati fuerunt, eos commonere valeant. Veram Religionem *Christi* ab ipsis Apostolis una cum Hispanis assumserunt, eamque in hodiernum usque diem magna morum integritate profitentur; suntque in interamni Portugallia ut scribit *Vasaeus*, praeter Ecclesiam Bracarensem Metropolitanam et Portugallensem Cathedralem, atque alias quinque collegiatas, plusquam centum triginta Monasteria, quorum pleraque reditus habent amplissimos, praeterea plus minus 1460. Paroeciales; nam ad solam Bracarensem Ecclesiam, octingentae Ecclesiae parochiales pertinere censentur: unde numerus, et religionis antiquitas facile agnoscitur; huc pertinent etiam complura Xenodochia, nosocomia, et orphanotrophia.

§. 3. *Status Politicus et forma Regiminis Purtugallorum.* Primum Regum Lusitanorum Progenitorem Annales commemorant *Henricum* Ducem Lotharingiae et Comitem Liburgicum, Virum omnibus animi et corporis dotibus magnum, et manufortem: qui laribus in Hispaniam translatis, ibidem contra Mauros viriliter pugnans, brevi titulo remunerationis, duxit *Theresiam* filiam notham *Alphonsi VI.* Castellae et Legionis Regis, accepta in dotem ea Gallaeciae Lusitaniaeque parte, quae nunc Purtugallia est; quam ipse sua virtute ex Saracenorum et Maurorum servitute vindicaverat; ea tamen lege, ut ipse *Henricus* in fiduciaria Regis clientela esset. Defuncto autem

Henrico circa an. 1112. Patri successit *Alphonsus*, qui initio se ducem Portugalliae appellans, tandem insigni victoria contra *Ismarium* et alios quatuor Saracenorum et Maurorum reges potitus a. 1139. ab exercitu Regis titulum accepit: in cujus victoriae perenne monimentum, scuta minora quinque in insignia Portugalliae transtulit in memoriam vexillorum quinque Regum. Ab hoc igitur *Alphonso I.* existit series Regum Lusitaniae, quorum successiones tres Epochas in Historia Portugalliae constituunt; prout nempe I. Status regni consideratur sub regibus ab *Alphonso* legitime descendentibus. vel. II. Sub Imperio Hispaniae: vel III. prout sub Regibus e Domo *Bragantica* ortis subsunt. Itaque I. sub *Alphonsinis* regibus, status Lusitanorum *a*) opibus et potentia mire crevit, praesertim sub *Joanne II.* et *Emanuele*, quum ad navigationem Indiae orientalis via esset patefacta, et Lusitani maxima commercia specierum aromaticarum ad se trahere coepissent. Antea enim omnes Indiae merces per mare rubrum et Aegyptum transpositae erant Alexandriam et hinc Venetias. Verum postquam *Joannes II.* rex misisset exploratores, ut ad promontorium *Bonae spei* Africae oras accura-

ra-

a) Joan. Bapt. Birago. Hist. Portugalliae. Lugduni 1646. successiones et regum mutationes, statumque Politicum scribit. Item Joan. Bapt. Lambertinus in Theatro Regum Bruxellis 1620. fol.

ratius pervestigarent, mox navigatio in Indiam Orientalem exerceri, et a successore ejus *Emanuele* amplius perfici coepit. *a*) Sic ad oram *Calecuti* primus advenit 1497. *Vasco de Gama*, post quem mox missus est Dux *Albuquerquius*, qui Imperium Portugallorum longe lateque extendit, postquam celeberrimas ibi urbes, uti *Ormuzium*, *Malacam*, *Cochinum* et *Goam* mascule expugnasset, quo facto ad invidiam plane vicinorum populorum et Principum, amplissimas Asiae et Africae merces Portugallia velut jure proprio sibi asseruit; hinc frementes quasi Aegyptiorum Sultani, et furibundi Veneti, exquisitissimis etiam machinationibus felicem Portugallorum successum impedire conabantur, sed incassum: nam *Petrus Alvarus* sub *Emanuele* plane ipsam Brasiliam in America inveniens, Portugallorum potentia ad summum felicitatis fastigium evecta est. In hoc felicitatis cursu tandem a. 1578. mortuo sine haerede *Henrico* Cardinali, atrox exorta fuit contentio de successione, *b*) quo in convulso rerum statu Hispaniae Rex *Philippus II.* sine mora misso in Portugalliam valido exercitu duce *Albano* brevi totum regnum occupavit, sub cujus diffi-
cil-

a) Emanuelis vitam scripsit Hieron. Osorius. Coloniae 1597. in 4. *b*) Jus successionis praetendebant Philippus II. Rex Hispaniae. Joannes Bragantinus, et Antonius Nothus. vide ap. Michaëlem ab Aguirre de successione regni Portugalliae. Venetiis 1599. in 4. item Hieron. Connestagius Venetiis 1642.

cillimo Imperio gravissime pressi non modo jugum Hispanorum ferre debebant, sed insuper etiam Belgas in se concitarunt cum maximo rerum suarum detrimento; Belgae enim observantes omne a *Philippo II.* Portugallis interdictum esse commercium, mox soli maritimas expeditiones in orientem susceperunt; quo facto cum irreperabili damno omne commercium Indicum ad Batavos transivit, ubi in hunc usque diem, cum magna gentium invidia floret. Quo in II. *statu Portugalli* jugum Hispanorum tolerarunt 62. annis, nempe ab anno 1578. usque ad an. 1640. quo regnum avitum tandem obtinuit Dux Bragantiae *Joannes IV.* sub quo *Tertius Status Formae Regiminis* incipit in Portugallia ab an. 1640. a quo *Bragantica Domus* coronam tenet in Portugallia *a*) in hunc usque diem. Sub quibus regibus licet Portugallia inter Europae regna minima censenda sit, divitiis tamen et opibus nulli cedit; quantas enim opes, commercia per Indiam Orientalem, Brasiliam et alia Africae loca exercendo sibi compararunt, vel ex eo patet: quod mortuo *Joanne IV.* post sumtuosum etiam et diuturnum bellum cum Hispanis gestum, tamen in aerario 56. milliones relin-

---

a) Jura Bragantica defendit Caramuel de Lobkovitz, in Joanne Bragantino. Lovanii 1642. in 4. Item Anton de Sousa in Lusitania liberata. Londini 1645. fol. Flavius Velascus Goveanus. pro Jure Joannis IV. Olyssiponae. 1645. fol.

relinquere potuit: quod rarum aut simile exemplum vix in Historiis legere est.

§. 4. *Status Belli et Memoria Principum virorum in Portugallia.* Sicut Hispania ita et Portugallia, victo et occisso ultimo Gothorum Rege *Roderico*, durum Saracenorum seu Maurorum jugum sat diu gemendo subire debuit; donec tandem felicissimo eventu *Alphonso VI.* Regi Castiliae ac Legionis bellum adversus Mauros cruentissimum paranti, auxilio venisset ex Gallia strenuus Princeps *Henricus* Dux Lotharingiae, quem egregia virtute et simili fortuna pugnantem contra Saracenos, remuneraturus *Alphonsus* suam filiam notham *Theresiam* eidem in uxorem dedit, et dotis loco quidquid terrarum tunc Christiani in Portugallia tenuerunt contulit ea lege; ut fiduciario jure sub clientela Hispanorum esset; interim *Henricus* hic 1112. moriens, ei successit filius *Adolphus I.* qui se initio Ducem Portugalliae appellavit: sed postquam a. 1139. ingenti proelio Mauros in campo *Orichiensi* superavisset, insigni victoria contra quinque Maurorum Reges, eorumque signis potitus, Rex ab exercitu salutabatur, quo novo titulo et regno ornatus, mox complura oppida, imo ipsam metropolim *Ulyssiponam* per socios sacrae militiae Mauris ademit, scutaque minora quinque in Insignia Portugalliae transtulit in perennem memoriam vexillorum quinque Regibus ademtorum. Hic post felicia sua bella, novitium suum regnum, mul-

multis praeclarissimis institutis firmatum florens reddidit, cui demum 1185. mortuo successerunt recta fere linea sequentes: *Sanctius I.* usque a. 1212. *Alphonsus II.* usque 1223. *Sanctius II.* usque 1248. *Alphonsus III.* usque 1279. *Dionysius* conjux *S. Elisabethae* usque 1325. qui adeo liberalis fuit, ut *Petro* Arragonio mutuam pecuniam petenti, denegaret quidem mutuum, sed dupplum donaret. Huic successit *Alphonsus IV.* usque 1357. *Petrus.* 1367. *Ferdinandus* 1384. *Joannes I.* 1434. *Eduardus* 1438. *Alphonsus V.* 1481. *Joannes II.* 1495. qui Portugallis viam ad navigationem Indiae orientalis patefecit, et mercaturam auxit. *a*) *Emanuel* usque 1521. qui fuit magnus scientiarum et artium fautor; quo regnante in America detecta fuit Brasilia, cujus auspiciis amplissima etiam commercia totius Asiae Portugalli sibi asseruerunt. *b*) Colonias in Insulas Moluccas deduxerunt: in India cruentissimis bellis varias provincias occupantes, Civitates amplissimis praesidiis muniverunt: Brasiliam vero exquisitissimis studiis excolere coeperunt. *Emanueli* successit 1521. ejus filius *Joannes III.* qui florentissimum alias regnum, ad–

a) Vitam Joannis II. scripsit Garcias Resendius. Eborae 1554. et Augustin. Manuel Vasconcellus. Madriti. 1639. in 4. *b*) Celeberrimi Regis Emanuëlis vitam scripsit Hieronymus Orosius. Coloniae 1597. in 4. Damianus a Goes. Lisbonae. 1629. fol.

adjecto etiam *Cambaye* regno ad Gangem, amplificavit, Religionem Christianam introductis societatis Jesu Patribus amplius propagavit, ad quorum auctoritatem tuendam, eorum ex consilio introduxit Officium *Inquisitionis*: qui curis confectus, nepotem suum *Sebastianum* trium annorum puerum successorem relinquens mortuus est. 1557. Hic sub tutela *Henrici* Cardinalis educatus, juxta principia sibi instillata omnes suos conatus ad debilitandam Maurorum potentiam, et Fidei Catholicae propagationem convertit; qui tamen in expeditione contra *Muley Molucco* Maroccanorum Ducem suscepta, magna clade victus *a*) obiit 1578. Cui sine haerede mortuo successit *Henricus* Cardinalis aetate provectus; sub eo consultationes sunt habitae de successore, ipse in *Joannem* Bragantiae ducem, qui *Catharinam Eduardi* fratris filiam matrimonio tenuerat propendebat; ab *Antonio* vero fratris filio abhorrebat; demum a Jesuitis inductus ad *Philippum* Castellae ex *Isabella* sorore natum mentem flexit. *b*) Inter haec dum 17. menses regnasset, á. 1580. decessit aetatis 68. et regnum non tam legitimo successori adjudicandum, quam potentiori occupandum reliquit.

An-

a) Vitam Sebastiani scripsit. Josephus Texerae, ejus vero bellum Africanum descripsit Cyrus Spontonus Italice. Bononiae. 1601. in 4. Antonius de Sanroman. Valladolidi. 1603. in 4. *b*) Thuanus. L. Hist. 65. 69. et 75. Joannes Lambertinus. in Theatro Regum. Bruxellis 1620. fol.

Antonius quidem populi favore regnum sibi arripiens, a *Philippo* per *Albanum* ducem bis victus et pulsus est: quo composito, mox Bragantiae duci Officium Magistri Equitum confirmavit, sic regnum ad se translatum firmare volens, omnibus veniam erratorum concessit, exceptis sacris personis, quibus nimium exacerbatus, nunquam ignoscere voluit; quippe libertate cunctis eos occidendi facta; constatque ad bis mille ex sacro ordine ferro et alio modo periisse, 500. Franciscani incarcerati, ex numero procerum 28. ex nobilitate 50. ex communi vero numero 300. supplicio affecti sunt causa successionis; qui sic importuna *Albani* ducis crudelitate totam Portugalliam in potestatem suam redegit: Angliam quoque subacturus erat, *a*) nisi classem vi procellarum amisisset: tandem morbo pediculari exstinctus est, 1598. postquam filio suo *Philippo* imperandi praecepta dedisset, *b*) inter quae haec dicit: *ut Belgicas provincias conciliaret, plus in iis ad imperii securitatem praesidii esse, quam in Italia, Polonia, Svecia, Dania ac Scotia. Scotorum regem egentem esse: Danum externorum opibus ditescere, Sveciam dissidiis laborare: et procul ad Septemtrionem ab Hispania positam: In Polonia proceres Regibus authoritate praepollere; Italiam licet opulentam, longe a mari oceano abesse,*

---

a) Thuanus. L. 75. et 89. *b*) Petrus Mathei. in Histor. Henr. 4. Thuan. L. 120.

esse, et varia Principum in ea ingenia, varios sensus esse. Igitur *Philippo I.* successit filius *Philippus II.* qui Rex Hispaniarum hoc nomine tertius erat; qui *Pseudo Sebastianum* Portugalliam ad seditionem commovere studentem, Florentiae captum ad triremes damnavit: In Indias omne commercium exceptis Hispanis et Lusitanis prohibuit: et successit illi 1621. *Philippus III.* sub quo Hispanorum jugum tandem Portugalli post 60. et amplius annos excusserunt, pertaesi enim Portugalli diuturnam et diram servitutem, Regem sibi elegerunt *Joannem IV.* anno 1640. in cujus verba magno consensu jurarunt etiam in India: de quo casu egregie commentatus est *Sousa a*) et *Flavius Velascus b*) pro jure *Joannis IV.* Portugalliae regis juste consalutati; prout dilucide patet ex Panegyri apologetica *c*) *pro Lusitania vindicata a servitute injusta, ab jugo iniquo, a tyrannide immani Castellae, jure, virtute, opera Joannis IV. justi regis, anno captivitatis sexagesimo.* Igitur Portugalli *Joannem IV.* ducem Brigantinum jure haereditario eligentes, ex eadem familia in hodiernum usque diem reges suos venerantur; quo tempore quoniam Hispania cum Gallis, Batavis et rebellantibus Catalaunis bello gra-

---

a) In Lusitania liberata Londini 1649. fol. *b*) Flavius Velascus Goveanus, pro Jure Joannis IV. scripsit adversus Hispaniae regem Olyssiponae 1645. fol. *c*) Parisiis. 1641. in 4.

gravissimo distinerentur; Neoelectus *Joannes* rex satis temporis habebat ad res sibi firmandas. Interim in India orientali omnia quae possederant Portugalli amissa sunt adeo: ut nihil prae- *Goam* in littore *Cuncan* maneret. Hinc pacem cum Hollandis facere debuerunt: atque sic post diuturnum et sumtuosissimum bellum Hispanicum, regnum Portugalliae legibus salutaribus firmatum, una cum aerario 56. millionibus locupletato, filio suo *Alphonso VI.* reliquit an. 1656. *Alphonso VI.* regnante tandem diuturnum bellum Hispanos inter et Portugallos gesum an. 1668. inita pace terminabatur, qua etiam omni in Portugalliam juri renunciarunt Reges Hispaniae. Verum bello isto feliciter terminato *Alphonsus* relicta virtute paterna, in crudelitatem versus, brevi ob eam a Satibus regni depositus, sceptrum ad fratrem ejus *Petrum II.* transtulerunt, qui commercium cum vicinis stabilivit, Brasiliam quam diligentissime una cum ibi repertis fodinis excoluit, ac per 30. annos pacifice regnans, mortuus est a. 1706. Cui successit filius *Joannes V.* quo regnante studia bonarum artium in Portugallia caput attollere coeperunt; qui prudentia et industria sua aerarium augendo, milites quoque expeditiores reddidit. Domui Austriacae promptum auxilium in causa successionis Hispanicae *Carolo* praebuit; ac pace Ultrajectina ab Hispanis obtinuit Coloniam *S. Sacramenti*; a Gallis vero regionem ad Amazonum fluvium sitam. 1713. Ob studium

um amplificandae Religionis Catholicae, a Romano Pontifice *Benedicto XIV.* sibi et successoribus novum Titulum *Fidelissimi Regis* obtinuit. Mortuus est. 1750. Cui successit filius *Josephus I. Emanuel*, qui inde ab initio imperii sui tempore praeclara regiarum virtutum documenta praebuit: publicos reditus auxit: rei militari augendae, literisque promovendis egregiam operam navavit. Sub eo ingens terrae motus in tota fere Europa et Africa tristissima vestigia reliquit, nam ipsam metropolim *Lisabonam* ipsis calendis Novembris 1755. funditus fere delevit, ubi 15. millia hominum obruta fuisse dicuntur. In administrando regno imprimis Consilio Ministri *Sebastiani Carvalho* seu Marchionis *Pombal* usus, superfluas vineas exscindi et in agros converti jussit, Officinas et fabricas pro cultura lanarum, bombycum et vitrorum erexit, et occupationes civibus procuravit; privilegia Cleri et Nobilium minuit; ob quae in odium procerum incidens, initae conjurationi duce *Aveiro* occasionem dedit; sed Prudentissimus hic Princeps detecta feliciter conspiratione, quam adversus vitam et regnum ejus inierant quidam Procerum, poenam de sontibus 1758. severissime sumsit. Cum vero nefarii huius consilii authores censerentur esse *Jesuitae* eorum ordinem in tota Portugallia sufferens eos regno expulit; cujus exemplum alii etiam Principes Catholici in Europa imitati sunt. Ceterum Portugalli quum adversus Anglos arma sumere detre-

tre-

trectassent, mox Hispanos et Gallos hostes experiri debebant ad a. 1762. quorum tamen hostilitatibus nihil de suis amiserunt: inter quas curas *Josephus I.* mortuus est 1777. Cui successit Filia *Maria Francisca* quae marito suo *Petro* regium titulum concedens, in consortium regni assumsit, *Pombal* ministrum de crudelitate convictum dignitate amovit, captivos ob politica sentimenta libertati restituit; injustas constitutiones antea latas abolevit, cum Hispanis et Americanis societatem commercii firmavit. Mortuo interim *Petro* marito 1786. deinceps sola rempublicam gubernavit usque 1796. quo in amentiam incidens, quoniam gubernando regno minus idonea videretur, consensu Procerum abrogata ejus dignitate; filium ejus *Josephum II.* plena potestate regem constituerunt; qui jam vivente matre Regentis nomine praefuit: in confoederatione Anglorum variis hostilitatibus a Gallis et Hispanis lacessitus, tandem pace *Badajocensi* conquievit, Hispanis *Olivensam* cedendo; Gallis vero pace *Madritensi* 1801. Guianae partem offerendo. Verum erumpente novo bello inter Gallos et Anglos, quum juxta planum *Napoleonis* portus suos Anglis claudere noluisset, mox *Napoleon* 1807. duce *Junot* Portugalliam ferro vastatam in suam redegit potestatem; quo in periculo familia Regia se in Brasiliam recepit; Angli tamen ut Portugallorum foederati duce *Wellingtone* ad *Vimeiram* commissa pugna, ubi Gallos profli-

gavis-

gavissent, ad pacem *Lisabonae* ineundam, Portugalliamque deserendam coëgerunt. Ubi neque *Massena* jussu *Napoleonis* Portugalliam post duos annos direvastans, felicior fuit: nam a *Wellingtone* velitationibus lacessitus, commeatu interclusus ac 1811. ad *Rodericopolim* magna clade victus, exercitum duci *Marmont* committens, praetextu infirmitatis in Galliam remeavit. Interim quamvis relictus Gallicus exercitus ex Portugallia, cum magna rerum suarum jactura fuisset ejectus, Regia tamen familia in Brasilia mansit, ubi *Josephus II.* abundantem hanc omnibus naturae rebus regionem, omnibus artibus in hunc usque diem ad majorem culturae gradum promovere intendit; Brasiliam regni titulo ornavit, cui etiam Regis nomine, inde a morte matris nempe 1816. cum maxima felicitate praeest. Juxta congressum Viennensem *Olivensam* ab Hispanis, *Gujanae* vero partem a Gallis recuperavit, tamquam jure ab antiquo ad se pertinentem. Hujus *Josephi II.* filius *Petrus de Alcantara* Regius coronae Princeps Portugalliae, Brasiliae et Algarbiae, successor throni, matrimonio sibi copulavit, Augustissimi Imperatoris Austriae et Hungariae regis *Francisci I.* filiam *Leopoldinam* 1817. 6. Novemb. habitat in *Rio de Janeiro.* — Recentissime autem nempe an. 1825. die 5. Julii *Don Miguel* Portugalliae Regius Princeps, more maximorum Principum, peregrinationes iniens, Hungariam quoque perlustrare cupiens,

Pesti-

Pestinum venit, ubi inspectis quam diligentissime cunctis institutis; ad celeberrimas Hungariae partes Montanas iter assumsit.

§. 5. *Status Literarum et Artium.* Antiquissimum Lusitaniae statum quoad artes et Literas expendere debemus in Historia Hispanorum, prout cum illa olim variis calamitatibus agitabatur. Ab eo autem tempore, quo Portugallia seorsim a propriis regibus moderari coepit, cuncti fere Principes, eo conatus direxerunt, ut subditorum felicitatem mascule promoverent, quam felicitatem plurimum a cultura pendere scientes, summo zelo artes et scientias adhibitis omnibus mediis promoverunt, artifices et opifices privilegiis excolendo, officinas et fabricas pro cultura diversorum objectorum erigendo, scholas publicas ponendo: sic *Joannis II.* Regis Portugalliae numificentia exstructa fuit in Lusitania Academia *Conimbricensis*, de qua *Jacobus Payua Andradus* ad *Sebastianum* Regem sic lopuitur: Conimbricensis et loci natura amoenissima et omni literarum genere clarissima Academia est, in qua ipse ab ineunte aetate literarum studiis incubui. Alia Academia est *Eburensis* ab *Henrico* Cardinali exstructa; de qua idem *Jacobus* disserit: Quod si Academiarum gloria magis Literarum et virtutum splendore, quam antiquitate constat, haec certe paulo ante constituta cum antiquissimis et celeberrimis jure certare poterit; satis enim in illa praesefert specimen

cimen integritatis, prudentiae, pietatis, fidei et religionis. etc. *Joannes V.* etiam ut summus literarum fautor, pro excolendo studio Historico peculiarem fundavit Academiam 1750. Ex his itaque successive celeberrimi prodiverunt viri, qui Patriam suam institutionibus, aut scriptis etiam suis utilissimis ornarunt: Sic *statum Portugalliae Geographicum* posteris reliquerunt: *Petrus du Val*, editio Parisina 1664. 12. *Antonius de Vascoǹcellis* descriptio Lusitaniae Antverpiae 1621. 4. *Nicolaus Oliveira. Martinus Zeilerius* Amstelodami. 1656. *Joannes Birago.* Legion. 1646. 4. *Andreas Resendi. Didacus Mendetz de Vasconcellos. Damianus Goes.* Eborae 1554. 4. Statum vero Historicum descripserunt: *Joannes Bapt. Birago.* Lugduni 1646. 8. *Joan. Lambertinus* Bruxellis. 1620. *Antonius de Sousa* Londini 1643. *Emanuel Constantinus* Romae 1601. 4. *Theodorus Gothofredus.* Parisiis 1612. 4. *Jeremias Gibleti.* Bononiae 1647. 4. *Garcias Resendi* Eborae. 1554. fol. *Augustinus Manuel Vasconcellus.* Madriti. 1639. *Hieronymus Orosius* Coloniae 1597. 4. *Michaël ab Aguirre* Venetiis 1599. 4. *Caramuel de Lobkovics* Lovanii. 1642. 4. *Flavius Valascus Goveanus* Parisiis 1641. 4. *Damianus a Goes* Lisabonae. 1629. fol. *Josephus Texerae. Cyrus Spontonus* Bononiae. 1601. 4. *Antonius de Sanroman* Valladolidi. 1603. 4. *Cajetanus Passarelli* Lugduni 1684. *Ludovicus de Menezes* Lisabonae 1689. fol. *Franciscus Machado* Olyssiponae

 1651.

1651. 4. *Fremondus d' Ablancourt.* Statum Politicum vero descripserunt: *Henricus Cocceius* Francofurti 1693. 4. *Joan. de Laet.* Lugduni Batavorum 1642. et recentiores.

CAPUT III.

Exhibens Historiam Gallicam tribus praecipuis Epochis. I. Epocha continet statum regni antiquissimum. II. Epocha statum regni sub Romanis, quae incipit a Julio Caesare, usque irruptionem Francorum, seu Honorium Imperatorem. III. continet statum regni, sub Regibus Francorum, usque ad nostram aetatem.

§. 1. *Statistico Geographica notio Galliae antiquae et novae.* Gallia olim *Galatia* dicta quod lacteos seu albi coloris homines produxerit; — vel a *Galata* Herculis filia, juxta alios vero *Celtogalatia*, *a*) unde etiam Graeci generaliter Gal-

a) Ptolomaeus. L. 2.

Gallos *Celtas* et *Galatas* vocarunt. Gallia jam olim ex multis provinciis coaluit, cujus incolae erant diversi et numerosi, *Diodorus* enim ait: *a*) Galliam multae gentes, non aeque tamen omnes populosae incolunt; maximae inter has CC. virorum millia, minimae 50. millia continent, et qui interiora supra Massyliam tenent, et qui circum Alpes, ac cis Pyrenaeos habitant, hos *Celtas* nominant. Hinc *Celtae* Germaniae, Hispaniae, Italiae et Britanniae prisci habitatores intelligi possunt. Gallorum Pater fuit *Dis*, prout etiam soli se ab eo prognatos praedicant. *b*) *Limites*, Galliam a Germania Rhenus, ab Hispania Pyrenaei montes, ab Anglia Mare Britannicum, ab Italia Alpes separant, intelligendo Transalpinam, nam Cisalpina Italiae pars est. Regio foecunda frumento, pabulo, vino, frugiferis arboribus, alioque proventu abundans, populosa, salubris, et noxio animalium genere minime frequens, *c*) *Comata* olim dicta, quod Galli comam studiosius alerent. Dividebatur olim Gallia in *Belgicam*, *Celticam* vel *Lugdunensem*, et *Aquitaniam*. Ordines honoratiores erant olim duo, uti *Druidum* et *Equitum*, tertium ordinem nempe *Mercatorium* in Gallia

e 2 alio-

---

a) Diodor. L. 5. c. 25. et 32. *b*) Julius Caesar. L. 6. de bell. Gallico. Bochart. in Canaan. L. 1. c. 12. Diespier seu Jupiter interpretatur. *c*) Pompon. Mela L. 3. c. Abraham. Ortelius. Antverpiae. 1591. fol. Philippus Labbeus. in Pharo antiquae Galliae. 1644. 12.

alioquin ob oportuna flumina antiquissimum, certe sine justa causa omisit *Julius Caesar. Plebs* nullum ordinem constituit, sed servorum loco habebatur; nulli enim adhibebatur consilio, sed aut aere alieno, aut magnitudine tributorum, aut injuria potentiorum premebatur: tardius tamen et plebs in numerum ordinum relata est. Gallia in plures respublicas erat divisa, quando *Julius Caesar* expeditionem in Gallias suscepit, unde sequitur penes nobiliores quosdam fuisse regionum dominium et regimen, quod amplius dein inclaruit sub Francis, qui cum religione Christiana etiam varias cerimonias creandorum ordinum sensim introduxere. Erant enim varii tituli Nobilium, uti Dux, Comes, Baro, Tribunus Militaris quem *Banderheer* vocant; Eques auratus seu *Chevalier;* item Nobilis scutatus seu *un Escuyer*, qui insignia quidem nobilitatis gestat, sed ordinis dignitatem publicam necdum est assecutus. *Comitum* tres sunt gradus, in primo *Vicomte* sunt, id est *Princeps Comes* qui apud Ducem suam dignitate et privilegiis caeteris praestat, quam hodie nonnulli *Burggravium* dicunt. In secundo gradu est *Provincialis* comes *Landgrave.* In tertio Marchio *Markgrave*, atque juxta hos nobilitatis gradus, cujusque Dominium dignoscitur. Porro ab ima nobilitate possunt ad alios gradus pervenire; et quidem sequenti modo ac ordine: *Eques Auratus* sive *Chevalier*, ex scutato nobili creatur, si arma secutus pluribus proe-

liis

liis interfuerit, habueritque honestam subsistentiam; secus ad ordinis dignitatem conservandam etiam reditus tali assignantur: Dux supplicantem ter gladio ferit dicens: *Ego te facio Equitem Chevalier in nomine Dei et S. Georgii, ad fideliter conservandam fidem, justitiam, Ecclesiam, viduas et pupillos.* — *Tribunus Militaris* creatur ex *Equite aurato* si diu militans, habeat tantum redituum, ut 50. nobiles id est unam *Bendam* stipendio alere possit. *Baro* creari potest ex Equite aurato, aut etiam scutato nobili, si in suis dominiis quatuor Castellanias possideat, et jam bellicam artem profitebatur. *Comites* sunt triplicis ordinis: uti *Comes limitaneus*, seu *Marchio* creari potest si duas aut tres Baronias in uno ducatu possideat, a suo duce. *Comes Provincialis Landgrave*, creari potest, si quatuor Baronias habeat. *Vicomte* seu Princeps Comes si quinque Baronias teneat. Dux ex Comite creari potest, si in regna in quo coronandus est quatuor principales comitatus possideat, et in quolibet horum habeat quatuor Baronias sibi clientela obstrictos: coronatur autem a Rege vel Imperatore cui subjectus est, Galero margaritis et gemmis exornato in praecipua sua Urbe. — Rex creari potest si quatuor Ducatus sibi subjectos habeat, et in singulis quatuor civitates ipse possideat, habeatque Archiepiscopatum, et sub eo decem provincias Episcopales; quibus dignitatibus ornatus Regiam dignitatem assumere potest. Ceterum haec regis

gis eligendi lex recentior esse videtur; nam pleraeque nationes vagae plures reges secum adducebant, quorum regia dignitas non ab ampla terrarum possessione, verum potius ex viribus, aut multitudine populi adducti metiebatur. Duces etiam non ante an. 569. eligebantur; imo *Paulus Emilius* refert: Duces Comitesque principio ab regibus ea lege gentibus civitatibusque praefectos fuisse, ut pro utilitate dimitterentur, aut mutarentur; ut hodie apud Milites fieri assolet. Circa tempora *Ottonis I.* jam quisque Princeps pro sua ambitione aut potentia ad majorem aut plane regiam dignitatem adspirabat. Sic enim ex uno Lotharingiae regno, quod *Lotharii Ludovici Pii* filii erat, paulopost plura enata sunt regna, uti *Transjuranae Burgundiae* regnum, *Provinciae* regnum, quod postea *Arelatense* fuit appellatum; unde Trevirensis Elector Archi Cancellarius Galliae dicitur: *Regnum Lotharingiae* olim *Astrasiae* dictum. *Otto II.* Lotharingiae regnum abolito regni nomine in novos ducatus et Comitatus divisit. Atque ex his quivis poterit nobilitatis distinctos gradus et dignitatum differentias noscere. Ceterum *Franci* Gallias pacifice obtinentes sub *Pharamundo* rege, Monarchicum tamen Imperium sub *Clodovaeo* fundarunt, qui etiam primus *Christi* nomen professus est; a quo tempore Galli continuo Reges suos venerantur Martis studio flagrantes. — Celebriores Galliae fluvii sunt: *Mosa*, *Scaldis*, *Sequana*, *Ligeris*,

Ga-

Garumna, *Rhodanus* velocissimus, et inter maximos Europae amnes conputatus; navigabiles excipit *Tarnim*, *Oldum*, *Duranium*. Ad mare Mediterraneum Gallicus sinus dupplex, *major* et *minor:* item portus *Staliocanus*, *Vindana*, *Brivates*. Montes Galliae celebrant Scriptores *Cebennam*, *Vogesum*, *Juram*, et montem *S. Claudii*. Silvas quoque celeberrimas jam *Caesar* adnotavit. Opera publica hinc inde complura visuntur, uti Abbatiae, Coenobia, Monasteria, Xenodochia, Nosocomia et Orphanotrophia, diversa regum Palatia, Magnatum et Equitum aedes splendidissimae. Incolebant antiquitus Hedui, Ambiani, Andegavi, Armoni, Alverni, Ausci, Bellovaei, Bituriges, Cadurci, Carnutes, Curiosolitae, Diablintes, Eburovices, Gabali, Helvii, Singones, Mandubii, Morini, Nannetes, Parisii, Petricorii, Pictones, Redones, Remii, Rutheni, Santones, Segusiani, Sennones, Sequani, Suessionenses, Tarbellici, Tolosates, Tricasses, Turones, Vadicasses, Vasates, Velotasses, Veneti, Veromandui, Vocantii, Volcae, Bructeri, Chamavi, Catti, Cimmerii etc. Hodie dividitur Gallia in 12. *Praefecturas Generales* nempe in *Insulam Franciae*, *Aurelianensem*, *Lugdunensem*, *Britanniam minorem*, *Normanniam*, *Picardiam*, *Aquitaniam*, *Langvedociam*, *Provinciam*, *Delphinatum*, *Burgundiam*, et *Campaniam*. In quibus praecipuae Urbes sunt *Parissi* seu *Lutetia*, regni caput et orbis facile princeps, numerat 40. mille domos, 40. Parochias,

chias, 45. Monachorum, et Sanctimonialium Coenobia 40. Prioratus 80. Xenodochia. 30. numerus incolarum ad 800. millia assurgit. Praeter Universitatem *Caroli M.* quinquaginta Literatorum collegia sunt: aliae urbes sunt Versalia, Fontaine Bleau; Noviodunum, Laudunum, Aurelianum, Caesarodunum seu Turones, Angolueme, Pictavia, Lugdunum, Alvernia, Nannetes, Rennes, Brestia, Rothomagus, Portus gratiae, Caroloburgum, Burdegalam, Santonia, Perigord; Tolosa, Foix, Albiga, Carcasso, Aquae Sextiae, Arelate, Massilia, Avenio, Gratianopolis, Vienna ad Rhodanum fluvium, Valentia, Dijon, Augustodunum, Matisco, Antisiodorum, Reims ubi Franciae reges inaugurantur, Tricassae seu Troyes, Catalaunum. etc. *Quod religionem attinet* jam olim Gallia admodum dedita fuit Religionibus, *a*) maxime tamen coluerunt *Mercurium.* Successive una cum Francis sub *Clodovaeo* Francorum rege Religionem Catholicam assumserunt, postmodum per reformationem multum labefactatam; hodie tamen juxta *Edictum Nannetense* per Galliam Religio Romana dominatur. — Ratio gubernandi Monarchica est Regiae dignitatis, ubi de lege salica Rex nascitur non eligitur. *Paribus* jus est Reges in possessionem mittendi. Quod culturam concernit complures sunt Academiae et Bibliothecae rarissimis libris refertae. *Quoad mores* pleraque Gal-

---

a) Julius Caesar L. 7. de bell. Gall.

Gallia duas res industriosissime persequitur, nempe rem Militarem et argute loqui. Olim Barbarorum, hodie cultissimorum populorum more utuntur. Opificia, Artificia, Manufacturas et Fabricas in maximo gradu exercent; Commercium vero cum remotissimis etiam gentibus magno cum reipublicae emolumento fovent.

§. 2. *Status Religionis et Consvetudinis Galliae antiquae et novae.* Gallorum gentem jam olim admodum deditam fuisse religionibus, *Julius Caesar* testatur: *a*) hinc plurimi morbis affecti aut periculis versantes, pro victimis homines immolarunt aut se immolaturos voverunt; credentes pro vita hominis, vitam hominis dari debere; neque Deorum immortalium Numen aliter placari posse: *b*) qui ad talia sacrificia administris *Druidibus* utebantur, qui alias etiam *Philosophi* dicebantur, quorum auctoritas plane divina aestimabatur, agentes non de sacrificiis modo, sed de omnibus controversiis publicis et privatis, de pace et bello decernentes, poenas quoque et proemia decreverunt: hi in scientiis etiam humanis praecellentes palam disputarunt de mundi magnitudine, de rerum natura, de Deorvm vi et potestete; *c*) hinc magnus ad eos ado-

---

a) Julius Caesar. L. 7. de bell. Gall. *b*) Caesar. L. 6. de bell. Gall. Pompon. Mela L. 3. c. 2. Minutius. Fel. p. 35. *c*) Caesar. L. 6. de bell. Gall. Diodorus Siculus. L. 5. c. 31. Mela. L. 3. c. 2. Strabo. L. 4. p. 358. Bonaventura. Castillionaeus. Bergomi. 1594. 8. Aegidius Lacharius. Claromonti. 1675.

adolescentium numerus disciplinae causa concurrere solebat. His passim *Bardi* rebus poëticis studentes adjungebantur, *a*) qui etiam instrumentis, aliorum laudes aut vituperia decantabant. Porro utebantur etiam *Vatibus* qui ex victimarum extis futura praedixerunt. Maximum Deorum coluerunt *Mercurium*, plurima simulacra ei ponentes; quoniam eum crediderint fuisse omnium artium inventorem, viarum Ducem, maximumque influxum habere ad quaestus pecuniae et mercaturas. Post hunc coluerunt *Apollinem*, *Martem*, *Jovem*, *et Minervam;* de quibus eandem cum aliis gentibus habebant opinionem; uti *Apollinem* morbos depellere; *Minervam* operum initia tradidisse; *Martem* bella gerere; *Jovem* Imperium coeleste tenere. Porro teste *Lactantio b*) Galli etiam *Hesum* atque *Teutatem* humano cruore placabant. Haec de moribus sacris priscis sufficiat: in Profanis autem ritibus et consvetudinibus observarunt sequentia: ad Concilium semper armati processerunt, in consiliis tamen capiendis erant mobiles, rebus potissimum novis studentes. Clamore alios exceperunt aut tradiderunt. Pueros suos nisi quum adolevissent, ut munus militiae sustinere possint, palam ad conspectum patris venire non patiebantur. Viri in uxores uti et in liberos vitae necisque habebant potestatem.

a)

---

a) Diodor. Siculus. L. 5. c. 31. *b*) Lactantius L. 1. c. 21. Bochart. L. 1. c. 42.

a) Mulieres speciosae, et robore viris similes, foecundae, bonae educatrices et pariendo felices exstiterunt. Aurum viri pariter et feminae ad ornatum usurpabant; hinc armillas circa manum juncturas, uti et crassos torques ex puro auro circa collum gestabant, ut et hodie fieri assolet. Tunicas portant variis coloribus imbutas et floribus conspersas, item caligas *braccas* nomintas. Sedendo in terra et non in sedibus manducabant, sed super luporum et canum pellibus, quibus ministrabant juniores. Generatim vini ad ebrietatem amatores; hospites laeto corde ad convivia invitantes. Inter epulas tamen rixosi et ad certamen proni, vitae plane jacturam nihili facientes. Funera celebrarunt magnifica et sumtuosa; imo animalia et servi ab iis dilecti, justis funebribus confectis una cremabantur: cumque opinio jam dudum invaluisset, quod animae hominum sint immortales et in aliud corpus transeuntes, hinc in funeratione mortuorum, Epistolas propingvis inscriptas in rogum conjecerunt, *b*) ut a defunctis legerentur. Hanc barbaram et gentilem consvetudinem retinuerunt, donec principiis Religionis Christianae imbuti; cultiores mitioresque mores adoptassent. In Gallia ante adventum Francorum, jam magno numero erant Christiani, quae tamen religio amplius firmata et

pro-

---

a) Caesar. L. 6. de bell. Gall. Diodor. Sicul L. 5.
b) Diodor. Sic. L. 5. c. 28.

propagata fuit per *Clodovaeum* seu *Ludovicum* M. qui cum magna Francorum multitudine, postquam de potentissimis hostibus Alemannis invocato *Christi* nomine celebrem reportasset victoriam, Religionem Christianam assumsit, quae assumta *Christi* religio longe potentiorem effecit *a*) ipsum *Clodovaeum*, nam deinceps omnes Christianos quorum magnus erat numerus, sibi addictos obsequentissimosque habuit; cujus et successorum suorum pietate amplissimae Ecclesiae et Fundationes positae sunt: unde hodie quoad statum Ecclesiasticum in Gallia sunt XII. Archi-Episcopatus, uti I. *Lugdunensis* Primas Regni Galliae, II. Aquensis. III. Viennensis. IV. Remensis. V. Narbonensis. VI. Tolosanus. VII. Burdigalensis. VIII. Auxitanus. IX. Bituricensis. X. Turonensis. XI. Rotomagensis. XII. Senensis, quibus in diversis Praefecturis complures subsunt Episcopi. Ex statu Ecclesiastico inter 12. Patres sunt sex, ex quibus tres *Duces* appellantur uti *Remensis* Archiepiscopus, *Laudunensis* et *Lingonensis* Episcopi. Alii vero tres *Comites* titulantur uti *Catalaunensis*, *Noviomagensis* et *Bellovaiensis* Episcopi. In hoc statu Ecclesiastico, non raro pro consvetudine Galliae etiam homines plebeii, virtute ac eruditione praestantes, amplissimos etiam

a) Carolus le Cointe. Annal. Ecclesiastici Francor. et Jacob. Sirmondus Parisiis 1639. fol. 3. vol. Petrus de Marca. de libertate Ecclesiae Gallicanae. Parisiis 1669. fol. Item Puteanus. et Bonnesoy.

etiam in Ecclesia et Regno consequuntur honores, uti Cardinalatum, vel plane aliquando Pontificatum, quae sane res ad virtutem ac literarum studia homines inflammare potest. Ecclesia Romana in Gallia multum fuit labefactata per Religionem Reformatam, quae initio statim existentiae suae totam fere Galliam inundaverat adeo: ut aequilibrium quasi esset quoddam inter Hugonnottos, et Catholicos. Verum sub *Ludovico* XIII. Rege, Hugonottorum vires nimium erant debilitatae. Tandem sub *Ludovico* XIV. revocato *Edicto Nannettensi*, ex Gallia Hugonotti adeo exterminabantur, ut sola Religio Romana dominaretur: quae demum per Revolutionem Gallicam circa 1790. multum passa fuit; cuius tristissimum statum, immortalis memoriae *Napoleon* (dein Rex et Imperator) qua Consul adhuc pristinae dignitati ac reverentiae sua auctoritate restuit; quod prudens, pium, et politicum factum, inter maxima ejus merita censeri potest. Nam impii et depravati quidam in Gallia factionem concitantes, sub nomine Nationis, Thronum et Religionem variis molitionibus evertere statuerunt; ad quod plurimum contulisse videbatur speciosa libertas preli, unde impii in temeritatem prolapsi, editis variis libris, Religionem Christianam ignominiose et petulanter traduxerunt; imo etiam legibus latis omne Religionis Christianae exercitium prohibuerunt; Templa, vasa sacra, thesauros Ecclesiarum et facultates Cleri, commune Nationis bonum esse

decre-

decreverunt: interim impius ille furor nec hic adhuc destitit; sed plane ut omnis Christianae Religionis memoria e cordibus hominum evelleretur; omnia Ecclesiae instituta et ritus sustulerunt, ipsosque anni dies sacros, inductis novis profanis nominibus nominandos statuerunt, et dissentientes praesertim Sacerdotes variis suppliciis affecerunt. Cujusmodi impietates postquam infaustis initiis aliorum quoque Principum regna et Imperia pervasissent; Principibus ipsis consultum fore videbatur ad civium tranquillitatem conservandam, et Religionem Christianum manutenendam, ut inter se foedus Christianum inirent. Ceterum ipse etiam *Napoleon* 1802. cum *Pio* VII. Romano Pontifice tandem feliciter concordata iniens, pro sua qua pollebat apud nationem Gallicam auctoritate et potentia effecit, edictum promulgando: ut deinceps omnes Christianam religionem profiterentur, Episcoporum Auctoritas et jurisdictio plenarie restitueretur; et rerum Divinarum administratio per influxum Pontificiae potestatis ordinaretur: quibus et aliis prudentissimis ordinationibus, Ecclesiae et Religionis damna iniquitate temporum et injuria hominum illata, sensim *Napoleon* feliciter reparavit.

§. 3. *Status Politicus et Forma Regiminis Galliae Antiquae et Novae.* Antiquissima Gallorum facta, ad seram posteritatem quam diutissime conservarunt nobilissima *Bardorum* carmina, ex quibus patet Gallicam gentem inter

bel-

bellicosissimas totius orbis gentes primatum tenuisse: *a*) ad quam dignitatem servandam necessario etiam politiae statum optimum constituere conantes, Monarchiam Regalem elegerunt; naturaliter propensi, ut unum excellenti dignitate plus revereantur et metuant homines: quam certum numerum delectorum qui gradu et dignitate essent pares; ne vero tyrannidi locus esset, regis potestatem certis legibus et conditionibus constrictam esse statuerunt. Verum primaevam hanc populi felicitatem, sensim ea res corrupit, quod oberratos e vulgo homines in servitutem redigendo opes suas augere studuerint, quo facto fiebat: ut nobilium factiones bifariam discederent, alia servitutis, alia libertatis titulo amicitiam foventes. Hinc I. *Status Galliae* antequam a Romanis in provinciam redigeretur per *Julium Caesarem* is fuit: ut neque universa Gallia unius imperio regeretur, neque singulae civitates sive in populi, sive in optimatum potestate essent: sed ita divisa fuit, ut pleraeque civitates quae liberae dicebantur optimatum consilio regerentur; reliquae autem Reges haberent. Omnes tamen eandem constitutionem tenebant, nempe certo anni tempore publica comitia celebrarunt, in quo ea quae ad universam rempublicam pertinere videbantur constitu-

---

a) Antonius Goselini. in Hist. Gallorum. Veterum. Cadomi 1637. Gaudentius Merula de Gallorum antiquitate. Lugduni 1538. in 8. Andreas du Chesne Francofurti 1584. in 8.

stituerunt. Hujusmodi *civitates*, *a*) vel potius ut ex *Caesare* intelligitur erant *Regiones* 64. quae lingva, moribus, institutis et Magistratibus iisdem utebantur. — Reges vel Regulos Galli eos appellabant, qui in perpetuum regium imperium licet exiguis finibus obtinebant; quos demum sussessive Duces, Comites, et Marchiones nominarunt. Magistratus autem Civitatum ad tempus tantum erat. Unde haud difficile erat tanto viro seu *Julio Caesari* cujus armis nulla gens resistere potuit, gentem in plures respublicas divisam, perpetuisque dissidiis ac bellis intestinis debilitatam subigere. II. *Status Galliae sub Romanis talis fuit:* postquam a Romanis in provinciae formam redacta fuisset, eodem modo reges ipsorum ex virtute et nobilitate populi suffragiis constituti sunt, qui omnes una cum subjectis Gallis clientelari jure quingentos fere annos sub Imperio Romanorum acquieverunt a *Caesaris* aetate usque ad *Honorium* Occidentis Imperatorem, quo Imperium gubernante, tota Gallia prius Barbarorum incursionibus fatigata, demum in potestatem eorum devenit. Hujusmodi barbari erant sequentes Germanicae originis populi uti: *Bructeri*, *Chamavi*, *Catti*, *Cimmerii*, *Sicambri*, *Frisii*, *Salii* et *Angrivarii* inter Albim et Rhenum habitantes sed Romano po-

---

a) Trithemius. Joan. de origine Francor. Moguntiae 1515. in 8. Claudius Molinaeus Genevae 1590. fol. Nicolaus Vignerius. de situ et orig. Francorum. et Joan. Richardi. Parisiis. 1631. 8.

populo infensi, saepe Rhenum transgressi Galliam Romanam inundarunt; seque *Francos* seu *Liberos* vocarunt, eo quod Romanis servire, seque illis subdere continuo recusaverint, qui hac occasione subactae regioni Galliae nomen suum imponentes *Franciam* vocarunt, et in hodierna Gallia potentissimum regnum fundarunt, quod nomen et hodie retinet. Atque hic incipit III. *Status Galliae sub Regibus Francorum*, quorum primus rex licet *Pharamundus* fuerit in Gallia, initium tamen *regni Francici* in Gallia passim *Merovaeo* tribuitur, a cujus etiam nomine subsequentes ejus familiae dicti sunt *Reges Merovinci.* Itaque inde ab initio regni Francici usque ad praesens tempus effluxerunt anni Mille quandringenti: quod ingens temporis spatium in V. Epochas commodissime dividitur, quum totidem Regum diversae familiae ibi regnaverint; nempe *Merovingica*, *Carolingica*, *Capetingica*, *Valesiana* et *Borbonica:* et quidem I. Epocha regni Francici incipit a *Pharamundo* usque ad *Carolum* M. seu ab anno Ch. 424. usque an. Ch. 761. II. Epocha *Carolingica* incipit a *Carolo M. Pipini* filio, et desinit in *Ludovico* Ignavo, seu ab an. 761. usque an. 987. Epocha III. *Capetingica* incipit ab *Hugone Capeto*, et desinit in *Carolo* IV. seu ab an. 987. usque annum 1328. Epocha IV. *Valesiana* incipit a *Philippo Valesio* et finitur in *Henrico* III. seu ab anno 1329. usque annum 1588. Epo-

f cha

cha V. *Borbonica* incipit ab *Henrico* IV. ad nostra usque tempora seu *Carolum* X.

Status Galliae sub Regibus Merovingicis multum de sua existimatione amisit; post *Clodovaeum* enim statim a paterna Francorum virtute degenerare coeperunt Reges tantopere, ut penes Praefectos Praetorii; quos *Majores Domus* vocabant, tota regni et regis potestas esset: qui ad Gubernationem regni primum a. Ch. 666. infaustis consiliis adhibebantur iis temporum adjunctis, quibus ipsi Reges otio, mollitiei et voluptatibus dediti rebus praeesse nollent aut non valerent. Nam *Pipinus*, *Carolus Martellus* et *Pipinus Junior* Major Domus, omnem Imperii curam ad se trahentes, debilium Regum Protectores erant; hinc *Pipinus* Junior ad eam pervenit audaciam ut *Childericum* III. monasterio includeret, Regiam vero dignitatem ad se transferret; quo facto in Francorum regno Merovingica stirps esse desiit a. 761. Et quia *Pipini* filius *Carolus M.* debellatis multis gentibus fama increbescere coepisset tanta, ut a populo Romano, et Pontifice *Leone* III. Imperator Romanorum a. 800. declararetur: tantus Imperii Romani occidentis restaurator, postquam Imperium Francicum ad summum fastigium perduxisset potentissimus Monarcha evadens, imperium tantum jure haereditario in successores familiae suae transcripsit. Verum post obitum *Ludovici Pii* vastum hocce Francorum Imperium inter tres ejus filios divisum fuit ita: ut *Lotharius*

rius Imperatoriam dignitatem cum Italia, Burgundia et Austrasia retineret; *Ludovicus* alter filius totam Germaniam obtineret, *Carolus Calvus* vero minimus filius Regnum Franciae acciperet. Atque haec inexspectata Imperii divisio causa evasit maximarum insequentium turbarum, quibus funestissimis caedibus agitari coepit Francicum Imperium; a quo demum *Imperatoria dignitas* ad Germaniam translata fuit: imo ipsa etiam *Regia Francorum dignitas* mortuo in carcere *Ludovico Ignavo* ultimo e Carolingica stirpe Rege, ad novam familiam *Capetingicam*, ab *Hugone Capeto* sic dictam translata est, a 987. quae familia jure haereditario ad posteros Regiam dignitatem transmisit usque ad *Carolum* IV. qui erat ultimus de stirpe *Capetana*: post cujus obitum funestissimarum caedium theatrum evasit Gallia; nam de obtinendo regno Francico acerrime inter se decertabant *Philippus Valesius*, *Philippi Pulchri* ex fratre nepos, item *Eduardus* III. Angliae Rex, itidem *Philippi Pulchri* ex filia nepos. Ille *Philippus Valesius* juxta *legem salicam* jus successionis ad se pertrahere nitebatur, qua secundum malam nonnullorum interpretationem sexus sequior a successione excludebatur (ubi tamen lex salica non de regia successione, imo nec de feudis, sed de privato tantum patrimonio, in specie de allodiis constituta fuit Auctore *Salagasto* uno e proceribus regni, a cujus nomine *salica lex* dicta est.) Hic nempe *Eduardus* III. propinquio-

rem cognationem pro se allegabat. Interim durante lite, Proceres Franciae calamitates pertaesi, unanimi voto *Philippum Valesium* Regem elegerunt, cujus successores deinceps Reges *Valesiani* appellabantur, ex qua Familia Sceptrum Francicum tenuerunt usque *Henricum* III. seu annum 1588. cum quo perfidia Monachi unius exstincta est stirps Valesiana: et successit Domus Borbonica, quae in Praefectura Lugdunensi ortum debet, ex qua Domo descendens etiam hodiernus Galliae Rex *Carolus* X. rara prudentia et felici confoederatione Principum Franciam moderatur. Hi omnes Reges Optimatum authoritate, penes quos omni aetate erat jus Reges constituendi, publicumque gentis concilium celebrandi, optimo jure eligebantur; filiis tamen regum, et iis qui de mortui regis stirpe essent, propter nobilem virtutem, praerogativam et reverentiam reliquerunt, ut eos quasi haereditarie aliis pari virtute praeferrent; ita tamen ut regis defuncti filii 24. annis minorennes essent; adeoque legitimae aetatis principes creare possent, cujus rei complura adsunt exempla. Si autem populus filio regis praeterito alium eligeret; filio tali ad suam dignitatem tuendam res propriae seu patrimoniales concedebantur. Aliae vero res quae regni et reipublicae erant, uti et res Fisci attribuebantur novo electo Regi. *Secundo* observatum illud semper fuit, ut filiae regum a successione removerentur (sed non lege salica) iis neglectis, eorum cognatis, aut exteris

teris per Proceres regnum deferreretur. Haec de Regibus tamquam summo Reipublicae capite. *a*) Antequam autem de Regis electione, Reip. conventu, et ratione gubernationis aliquid disseramus, agendum erit de *Membris* Regni, quae regem constituendi aut abrogandi potestatem habuerunt, ut magis elucescat harmonia illa, qua Regnum hoc a Majoribus sapienter erat constitutum inde a Francorum initiis.

Praecipui Status in Gallia sunt IV. penes quos legitima gentis comitia omnibus temporibus erant, nempe *Ordo Ecclesiasticus*, *Nobilitas*, *Populus* et *Vulgus*. Hi singuli pro sua conditione suas habent leges, quibus utuntur. *Ordinem Ecclesiasticum* constituunt Praelati; ad quam dignitatem pro Galliae consvetudine possunt eluctari etiam homines plebei virtute et eruditione praestantes, unice ex reverentia Religionis. *Nobilitas* seu *Equestris Ordo* maximis fruitur privilegiis, nullum tributum solvit, armatis licet ipsis esse in quocunque loco, multa habent vitae praesidia, et si regem sectari velint, habent quo se honeste alant: plurima sunt aulae officia quae solis nobilibus tribuuntur: pro quibus annua stipendia tra-

a) Claudius Sesellius. de Rep. Gallorum. Francofurti 1608. Franciscus Hottomannus, in Franco Gallia, qua Parlamentum supra regem esse contendit; cui respondit Antonius Matharellus. Francofurti 1665. in 8. Joan. de Laet. de Gallorum regis Dominio. Lugduni Batavorum. 1629. Stephan. Forcatulus de Gallorum Imperio. Parisiis 1580. in 8. Joann. Limnaeus. in notitia regni Franciae. Argentorati 1651.

hunt. Tertius ordo est *Populi* quo pertinent *Mercatores*, qui eo majorem quaestum exercent, quod ipsis tuto per Galliam negotiari liceat; tum quod nobiles nullam mercaturam exerceant: his conferuntur quaesturae et rationes aerariales, item officia ad commercium pertinentia;ex his fiunt administri juris, advocati, causarum procuratores, scribae etc. ad quem ordinem etiam alterius ordinis student pervenire ob emolumentum. In quarto ordine est *vulgus* seu qui agros colunt et omnis generis artificia tractant; et hi ne plena fruantur libertate, aut nimium sint divites, vel in armis exercitati, non est consultum, quoniam servitutis conditionem omni tempore omnes odissent, facile arma caperent et potentiores opprimerent; ceterum et hi statum suum deplorare non possunt, quia etiam illis jus aequabiliter administratur, utuntur enim ea libertate, ut sua virtute et industria ad reipublicae officia adhibeantur, et ad primum ac tertium ordinem emergere possint, non vero ad secundum seu nobilitatem nisi singulari regis beneficio, quod tamen Rex impertiri solet pro exhibitis in patriam praestantissimis virtutibus. Quod certo prudens institutum est, ut homines premiis excitati virtute contendant ad gradum nobilitatis eluctari, quoniam viam patefactam esse noscant; hinc saepe ex humili loco ad summum fastigium videmus bene de republica meritos pervenire. Ex his igitur regni ordinibus solet quotannis calendis Maji publicum Concilium Parlamentum dictum

ctum celebrari de majoribus regni negotiis; cui rex in aureo tribunali sedens praeerat, et ei primum regni Principes et Regni Magistratus; tum in inferiori Parlamento legati Civitatum quos *Deputatos* appellant, subsidebant. Hujus *Parlamenti* auctoritas omni aevo summa fuit: ubi potissimum agere solebant de creando vel abrogando rege, de pace, bello, legibus publicis, de honoribus, Praefecturis , procuratoribus Reipublicae; de assignandis proventibus filiis defuncti regis, et filiarum dote stabilienda, de criminibus Principum, aliisque extraordinariis sumtibus Regum, uti templis aedificandis aut fundandis Monasteriis: quod Parlamentum alias etiam *Placitum* solebat nuncupari. Hic porro eligebantur *Praefecti* reip. qui temporibus Merovingicorum regum *Majores Domus* seu *a*) *Magistri Palatii* nominabantur: qui dum successive ob imbecillitatem Regum, plane regiam potestatem habuissent, saepe cum temeritate ipsum regnum occuparunt et usurparunt; qui demum omnia civilia et bellica negotia in manibus habentes, ob inertiam regum eo libertatis venerunt; ut plane *Pipinus* Major Domus post relatas splendidas de Saxonibus victorias, oblatam Regii nominis occupandi facultatem haud repudiaret.

---

a) Robertus Gagvinus. Annal. rer. Gallicarum. Francofurti 1580. fol. Paul. Aemilius Hist. L. 2. et Continuator Arnoldus Ferrono. de reb. Gallicis. Lutetiae. 1566. fol. Joan. Serraei. Inventarium. Rothomagi. 1660.

ret. Haec Praefectorum summa potentia initium accepit sub *Clotharico* II. circa annum Ch. 588. De *Pipini* Potestate *a*) et sublimatione *Tritemius* sic disserit; Proceres in unum convenientes super abrogatione regis *Childerici* inutilis, placuitque omnibus ut Regem *Childericum* nullam peritiam regnandi habentem deponerent, et *Pipinum* penes quem summa authoritas manebat in regem sublimarent. Quo casu *Pipinus Zachariae* Pontificis consensum expetens, regnum obtinuit. A cujus aetate *Majores domus* cessarunt esse, et Palatii locum obtinuisse videntur *Comites stabuli* seu *Connestablii*, qui eandem fere habuisse videntur potestatem, quam apud Romanos *Magistri Equitum*, apud Germanos *Mareschalli*, quales hodie quatuor sunt, ad quos lites militares deferuntur. Idem *Pipinus* Parlamentum instituisse fertur. *b*) Temporibus dein *Hugonis Capeti* instituti sunt *Pares Franciae*, ex duplici causa ut quidam putant: *c*) quum enim *Hugo* remoto legitimo haerede

---

a) In appendice Hunibaldi ap. Joan. Tritemnium de orig. Francor. Moguntiae. 1515. Marsilius Patavinus de Translatione Imperii Capite 6. *b*) Bernhardus de la Roche, de Parlamentis Galliae, edit. Burdegalensis 1617. fol. Petrus Pallior, de Parlamento Burgundico cum figuris insignium, Divionae 1649. fol. *c*) Claudius Auchetus, de origine dignitatum et Magistratuum Franciae. Parisiis 1600. in 8. Vincentius Lupanus, de Magistratibus et Praefecturis Francorum Francoforti 1596. fol.

rede regnum occupavisset, Proceres novo quodam honere sibi devinciendos statuit, ut inaugurationi seu investiturae ejus praeessent, imperiique insignibus eum solenniter exornarent, (insignia Galliae alii apes, alii scarabaeos, alii lilia vel simile quid statuunt: *a*) sed diversae sunt opiniones.) Secundo ut siquis e Franciae Principum numero criminis alicujus reus fieret, judicium de his deinceps *Pares* exercerent; quoniam antea de similibus publica Comitia decernebant. Jam hac *Parium* institutione *Hugo* dignitates regni quae antea temporariae erant uti *Ducatus* et *Comitatus*, deinceps perpetuas reddidit; ob quae tristissima bella erant exorta, uti contra *Ludovicum* XI. proceres assiduis plebis quaerimoniis et expostulationibus incitati decreverunt. *Parium* numerus non semper fuit aequalis, nempe duodecim virorum, sed jam minutus, jam auctus, prout regibus commodum videbatur, honoris et beneficii loco hunc Magistratum deferre. Alii Collegium duodecim virorum seu *Parium* velut post regem pari essent dignitate, a *Carolo M.* institutum esse dicunt: quibus solis jus est sacrandi Reges et in regni pos-

---

Julius Caesar Bulengerus, de officiis regni Galliae, Lugduni 1618. fol. item le Feron, et Miraumont.

a) Joan. Jacob. Chiffletius in Lilio Francico, et in Anastasi Childerici, prodiit Antverpiae 1650. in 4. apes esse probavit, sed huic contrarium docuit Joannes Ferrandus in Epinicion pro aureis Franciae liliis, Lugduni 1663. in 4.

possessionem mittendi; horum sex *Laici* sunt; sex autem *Ecclesiastici;* ex laicis sunt tres Duces uti: *Burgundus*, *Normannus*, *Aquitanus.* Comites laici itidem tres uti: *Flander*, *Campanus*, et *Tolosus.* Ex Ecclesiasticis itidem tres Duces uti: *Remensis* Archiepiscopus, *Laudunensis*, et *Lingonensis* Episcopi; item tres Comites uti *Catalaunensis*, *Noviomagensis*, et *Bellovacensis* Episcopi. — Erant porro etiam aliae dignitates Aulicae jam olim ad splendorem et Majestatem Aulae Regiae erectae, uti *Connestablius*, *Ammiralius*, *Cancellarius*, *Quaestor Generalis Franciae*, *Consiliarii Regii*, *Camerarii*, et alii ministri ac officiales.

Quoad Justitiae administrationem observamus usque ad Capetingicorum regum tempora paucas in Gallia viguisse lites, quoniam adhuc *Ludovicus Divus* ad an. 1230. solus controversias dijudicabat; hoc ipsum etiam *Carolus M.* fecisse manifestum est, cujus lex in Capitulari Francorum talis exstat: *Hoc missi nostri notum faciant Comitibus et populo, quod nos in omni septimana unum diem ad causas audiendas sedere volumus* — Hi *Missi* vocabantur alias *Commissarii* qui mittebantur ad provincias perlustrandas. Verum crescente sensim morum pravitate et litium multitudine, etiam alia tribunalia erigi debebant, sic *Philippi Pulchri* aetate ad an. 1292. tria Judicia sunt constituta uti *Magnae Camerae*, *Inquisitionum* et *Postulatorum*, quibus dein *Franciscus I.* ad an.

1521.

1521. quartam *Cameram* adjecit cum 20. Consiliariis, imo idem anno 1543. aliud etiam Judicium cum 20. Consiliariis instituit, quorum tamen conventus perpetuus non fuit, solum ad mandatum Regis. — Porro existunt hodie etiam in Gallia septem *ordinaria Juridica Parlamenta* uti *Parisiense*, *Tolosanum*, *Rotomagense*, *Burdigalense*, *Aquense*, *Gratianopolitanum*, quae prae ceteris curiis amplissimam jurisdictionem habent; cognoscunt enim singula de omnibus causis, quorum sententiis standum est, non enim ab illis licet appellare: Parisiense tamen illud prae ceteris habet, quod aliquando ipsi etiam Reges ad id venire soleant, dum de maximis rebus decernere vellent. *Parlamentum* etiam Universale fixam suam sedem Parisiis habet, quod alias *Magnum Consilium* vocatur, quod circa regni negotia occupari solet. Est etiam secretum Consilium, ubi omnia beneficia, Litterae et mandata regia signantur, aliorum Principum et Legatorum Literae reserantur. Aliud est iterum *Consilium Financiarum* quod totius regni thesauri curam habet. *a*) Ex quibus omnibus patet Regum Francorum potestatem continuo fuisse limitatam, primus fuit *Ludovicus XI.* qui viam ad absolutum Dominium pate-

a) Supra citati. Item David de Solemne. Haye. 1632. fol. Jacob. Ribier. Parisiis. 1629. in 4. Franciscus Lancius, de Sanctis Francorum Cancellariis in genere. Parisiis. 1634. in 4. Franciscus de Chesne. Pariis. 1680.

patefecit, infimorum hominum opera in rebus etiam gravissimis utens, nam non raro etiam tonsores in legationes plane expedivit; successive autem Proceres Galliae opera imprimis Cardinalium *Richelii* et *Mazarini* in eum statum redacti sunt, ut res et negotia fere omnia ab arbitrio Regum dependerent; quibus quam plurimi non contenti nefaria temeritate eo sensim delapsi sunt, ut clandestinis coitionibus primum, dein palam in exstirpationem Domus Borbonicae conspirarent, Regiamque dignitatem sublato *Ludovico XVI.* abrogarent una cum classe Nobilium, in qua primum Ordinem tenuerunt Principes e regio sangvine orti, uti Domus *Aurelianensis*, *Borbonica*, *Condeorum* et *Conciorum*. *Secundum locum* tenuerunt *Pares* seu praecipui Comites et Duces, quorum numerus jam ad 55. assurrexit, quos sequebantur alii Marchiones et Barones. *Tertium locum* tenuerunt *Equites*. *Quartum locum* tenuerunt ceteri *Nobiles*. Ex his plerique minus contenti Nationis jura laesa esse praetendentes, omnium cruentissimam Revolutionem induxerunt, et sublata Regia potestate, quum aliquamdiu *Anarchica* forma saeviisset, *Rempublicam liberam* iniverunt; ubi dum Majestatem penes populum esse dicerent, insperate populus in *Tyrannidem Roberspierri* incidit: qua profligata, *Oligarchiam* induxerunt sub quinque Directoribus; qua brevi sublata, *Regimen Consulare* instituerunt, ubi Consul perpetuus velut Dictator, mature *Dominatum* arripiens,

eum

eum titulo novo *Imperatoris* proprio arbitrio tamdiu exercuit, donec alii Europae Principes potentissima confoederatione inita, consentiente etiam senatu Gallico, Familiam Borbonicam, revocarent, solioque paterno restituerent: a quo tempore Galli in *Monarchia temperata* per novam Constitutionem in desiderata tranquillitate existunt.

§. 4. *Status Belli et memoria Principum Virorum in Gallia.* Antiqui Galli inter bellicosissimas totius orbis gentes numerabantur, qui Graeciam magnamque Asiae partem pervagati, demum illam Asiae partem consederunt, quae ab eorum nomine dicta fuit *Galatia* seu *Gallo-Graecia:* erant enim alacres et ad arma proni; quibus arma erant scuta ad staturam hominis porrecta, *a*) et proprio insigni variegata; quidam aeneas bestiarum imagines tam ad defensionem quam ad ornatum affabre factas praeferentes, capita muniverunt aeneis galeis, quibus vel cornua affixa, vel avium quadrupedumque facies expressas habuerunt; utebantur et barbaricis tubis, quae inflatae horridum et bellico terrori convenientem mugitum ediderunt; Thoraces induebant ferreos et hamatos; alii pugnabant etiam nudi, pro ensibus gesserunt spathas oblongas ex catenis ferreis in dextro femore oblique dependentes; hastas seu lanceas praeferebant; quibus instructi terrori erant cunctis Asiaticis; de quorum

rum

---

a) Diodorus Sicul. L. 5. c. 28. et 30.

rum bellica virtute *Strabo* haec dicit: Universa natio Martis studio flagrans, animo est strenuo et celeri ad conserenda proelia: alioquin mente candida et simplici, et ab improbis moribus abhorrente; itaque injuria lacessiti, conferti coëunt in certamine aperte, nulloque periculi adeundi respectu. Tantis igitur virtutibus praediti, etiam ad Apollinem Pythium et oraculum orbis vexandum ac spoliandum profecti sunt. Italiam quoque saepius infestarunt; Romam ceperunt et incenderunt: Capitolium obsederunt, plurimasque Italiae urbes condiderunt uti Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, Vicentiam etc. hinc solum ad Gallorum nomen jam summopere trepidantes Romani plane lege saxerunt: ut Sacerdotes immunes essent a militia, nisi bellis Gallicis. Quorum tamen *a*) potentiam *Julius Caesar* adeo fregit, ut intestinis factionibus fatigatos Gallos tandem in Provinciam Romanam redegerit: quorum sub Imperio conquievit Gallia usque ad *Honorium* Occidentis Imperatorem: quo regnante in barbarorum venit potestatem, inter quos praecipui erant *Franci* qui etiam regioni nomen suum imponentes, deinceps *Franciam* vocarunt: quam Nomenclationem etiam hodie retinent. Horum Francorum prima Epocha *b*) in-

---

a) Julius Caesar. de bello Gallico *b*) Primam Francorum regum lineam faciunt Scriptores, quos in corpore suo Historiae congessit Freherus Marquardus: uti Gregorii Turonensis opera. et Fredegarii Chronicon.

incipit a *Pharamundo* primo Franciae rege, quem Franci communi consensu Regem appeliarunt, quo ductu licet in Galliam irrupissent regnante *Honorio* sub eo tamen aut successore *Clodione* nunquam Franci sedes fixerunt in Gallia; unde initium regni Francici in Gallia verius *Merovaeo* debetur, a cujus nomine etiam successores ejus *Reges Merovingici* vocantur. *Meravaeus* successit *Clodio Pharamundi* filio ut ejus affinis a. 449. qui Galliae ditiones ampliavit, cum *Valentiniano* Imperatore foedus contra Hunnos inivit, et cum *Attila* in Campis Catalaunicis fortiter dimicavit. *a*) Ei successit filius *Childericus*, 458. quem *Avitus* quum Germaniam primam secundae conjungere conaretur repressit; dein ob tributa et libidines suis invisus, in exilium pulsus, et *Aegidius* civis Romanus ad Ligerim Praefectus Rex salutatus est; quem tamen post octo annos astu *Vindomari Childericus* regno depulit; et regno restitutus ex conjuge *Bassina* filium *Clodovaeum* suscepit. Romanis ademit Coloniam, Moguntium, Vormatiam, Spiram, Argentoratum, omnemque regionem ad Rhenum. Successit ei filius *Clodovaeus* seu *Ludovicus I.* a. 482. qui ex *Chlotilda* conjuge quatuor superstites filios reliquit, *Theodoricum* Metensium, *Clodomirum* Aurelianensium, *Clotarium* Suessionum, et *Childebertum* Parisiorum reges. Hic *Clodovae-*

us

a) Paul. Aemilianus. in Hist. L. 1.

us inter Merovingicos reges celeberrimus, ejectis undique Romanorum praesidiis, imo victo et occiso eorum duce *Syagrio* totum Galliae regnum a. 485. adeptus est: *a*) mox ab uxore ad Christianismum incitatus, tandem cum Alemannis gravissimo proelio congressus *b*) vovit se Christianum futurum si victor evaderet; qui etiam caeso Alemannorum rege, in fidei rudimentis institutus a *Vedasto* et a *Remigio* baptisatus est a. 486. atque hic primus Christianorum sacra amplexus, de cujus baptismo refertur divinitus demissam esse auream ampullam Rhemensem oleo Sacro, quo hodierni Franciae reges unguntur, repletam. Ceterum post haec *Gundebaldum* Burgundum pugna superans ad tributum pendendum coëgit. *Alaricum* Gothum in campo *Vogladensi* vicit; et Tolossam expugnans, Regni sedem Parisiis constituit 507. Successit ei filius *Childebertus c*) 511. bellis fraternis diu vexatus, regni fines in Hispania late protulit, Caesar Augustanam tamen obsidionem solvere debuit: tandem viribus fractus a. 560. imperii 49. mortuus, regnum fratri suo *Clota-*

---

a) Henric. Gutberl. in Chronol. Isidorus in Chron. Hadrianus Valesius Annal. rer. Francicarum Parisiis 1646. fol. Andreas Sylvius in Synopsi Historiae Merovingicae Duaci. 1633. vol. 2. *b*) Gregorius Turonensis. Hist. L. 2. Aimoinus. L. 1. c. 22. Isidor. in Chron. *c*) Gregor. Turonensis. L. 3. Paul Aemilian. L. 2.

tario Suessionum regi reliquit, hic *Clotarius* filium suum *Chramnum* rebellem captum *a*) cum uxore et filiabus in tuguriolo igne combussit, et cum solus duobus tantum annis imperium Francicum rexisset, illud quatuor filiis uti *Cherebert*o, *Chilperico*, *Guntramo*, et *Sigeberto* reliquit. Ex his *Cherebertus* qui primus regum Francorum latine scivit, famosus in justitia et impudicitia, nam ob rejectam legitimam uxorem *Igobertam*, et ancillae *Merosfledae* consvetudinem a S. *Germano* Parisiensi Episcopo excommunicatus, nono imperii anno obiit: et successit ei frater *Chilpericus* similibus vitiis contaminatus brevi a fratribus regno spoliatus, licet illud recuperaverit, brevi tamen dum ex venatione rediisset, trucidatus est. a. 584. Cui successit secundus filius *Clotarius* quatuor menses natus, cujus mater *Fredegundis* militari virtute praedita femina, eo conamina sua feliciter convertit, ut sub ejus tutela imperium inconcussum conservaretur, imo exorto bello civili quod *Childebertus* movit necem patris et insidias suas in *Fredegunde* vindicaturus, sed tamen a femina quae ipsa proelio intererat, turpiter victus 30. millia amisit. *Clotharius* interim imperio solus potitus, mox a fratribus *Theodeberto* et *Theodorico* instinctu aviae *Brunechildis* cruentissimo dupplici proelio *b*) victus, postquam etiam aulae vitia ejecisset, tan-

 dem

a) Gregor. Turonensis L. 4. c. 16. 20. *b*) Paul. Aemilian. L. 3.

dem tota Francia potitus, *Brunechildem* factiosam alioquin mulierem, quod decem Reges jam occidisset, cursu equorum ferocium discerpi jussit: *a*) *Pipinum Carolomanni* filium primo ducem Brabantiae, dein aulae Praefectum *Major domus* dictum creavit, et *Dagobertum* filium successorem relinquens exspiravit. 629. *Dagobertus* 12. annos natus Metensis Episcopi *Arnulphi* tutelae traditus, ubi adolevisset in libidinem effusus, ut immoderatos sumtus ferre posset, maximis tributis populum afflixit; eique successit *Clodovaeus II.* filius 12. annos natus, a singulari in omnes benignitate clarus, ut imbecillis exigua pollebat auctoritate, quam *Grimoaldus* Major domus, aliique proceres ad se trahentes, imperium turbidum evasit: cui successit 660. filius imbecillior *Clotarius III.* quem quarto post anno excepit frater *Theodoricus*, qui ab *Ebroino* Majore domus detonsus primo regiminis anno ad monasterium detrusus est: ejusque solium *Childericus II.* obtinens quum octo annis regnasset, a *Badilone* viro alias nobili quem virgis caedi curaverat, una cum praegnante uxore trucidatus est; qua occasione *Theodoricus* ad regnum revocatus, imbecilli animo imperium gubernare coepit, quo regnante tanta evasit *Ebroini* auctoritas ut ipsos Magnates morte puniret, *Theodoricum* vero dignitate Regali denuo exueret; cui successit filius

---

a) Paul. Aemilian. et Sigebert. in Chron.

lius *Clodovaeus III.* cujus inhabilitate *Pipinus Caroli Martelli* pater omnem potestatem ad se traxit. Ei post quatuor annos suffectus est frater *Childebertus* 694. qui per 17. annos Galliam sine fructu moderans, filium *Dagobertum II.* successorem habuit 711. qui per 5. annos Regem personatum tantum egit, quem *Chilpericus* frater ex coenobio extractus excepit 715. sub quo *Carolus Martellus* Palatii dignitatem invasit; qui *Chilperico* mortuo, *Theodoricum* Dagoberti filium Regem substituit; quo 735. mortuo, *Interregnum* septem annorum sequebatur, quibus *Carolus Martellus* assumto Ducis titulo, supremam authoritatem exercuit, et mortuus duos filios reliquit *Pipinum* et *Carolomannum*, hic in coenobium abivit, *Pipinus* vero altiora petens; dum septimo interregni anno *Childericus III.* titulotenus tantum esset rex ultimus regum Merovingicorum, *a*) *Pipinus* Palatii Praefectus seu Major domus, stupiditatem *Childerici* praetexens, a Pontifice Regium titulum po-

g 2 stu-

a) Rhegino. L. 2. Freherus Marquardus in Corpore suo Historiae Francicae ubi opera sunt Gregorii Turonensis et Fredegarii. Item. de Merovingicis regibus, vide Hadriani Valesii Annales rer. Francicarum. Parisiis 1646. Andreae Sylvii. Synopsin Historiae Merovingicae. Duaci. 1633. Andreae du Chesne scriptores rer. Francicarum. Jenae 1703. in 8. Godofredi Henschenii. Dissert. de tribus Dagobertis. Antverpiae 1655. Jean. Savaron Lugduni. 1622. Le Fevre Chantereau. Parisiis. 1647. in 4.

stulavit; ad quod *Zacharias* Pontifex mox Francos a Sacramento *Childerico* dicto solvens, *Childericum* tamquam ignavum in Monachum tondi curavit, regno exuit, et *Pipinum* Regem salutavit 752.

Secunda Stirps Regum Francorum Carolingica.

I. *Pipinus* Caroli Martelli filius, secundae Regum Francorum familiae initium fecit, *a*) postquam Francorum consensu et Pontificis authoritate regium titulum sumsisset; 752. qui Parlamentum instituens, Saxones saepius devicit, et Italiam profectus *Aistulphum* Longobardorum regem Ecclesiae Romanae multis modis infestum coërucit. Cui mortuo 768. successerunt duo filii *Carolus* et *Carolomannus* hic post triennium obiit; II. *Carolus* vero Longobardorum regnum in Italia evertens et Hispaniae partem imperio adjiciens, varia concilia in utilitatem Ecclesiae Romanae congregavit et se Ecclesiae vindicem exhibuit; Saxones et Germanos variis poeliis attrivit, *Radbodum* a Christianismo alienum Frisia depulit. Italia sibi vindicata mox *Modoetiae* corona ferrea redimiri voluit, *Pipinum* filium regem Italiae posuit,

a) Aimoinus L. 4. c. 61. Annal. Fuld. an. 752. Freher. in Corpore Hist. Franc. p. 163.

suit, turbas Romae ob Pontificem composuit, *Grimoaldum* Beneventanum perterruit, Saracenos in Hispania victos religionem Christianam suscipere coëgit, *Thassilonem* Bavariae ducem *Desiderii* soceri sui causa rebellem, in coenobium una eum filiis detrusit; cum Avaribus quorum regnum evertit, septem annis feliciter bellavit; Slavos Germaniam vastantes devicit, ob quas res praeclare gestas *Magni* nomen obtinens, a *Leone* III. Pontifice 800. *Augustus* proclamatus, aurea corona coronatus, seditiosos cives Romanos 500. capite punivit; Imperium Occidentale dudum collapsum restauravit, de Imperii limitibus cum *Nicephoro* Imperatore convenit ut Veneti liberi essent; qui postquam Imperium Francicum ad summum fastigium *a*) perduxisset, ut potentissimus Monarcha et Literarum Mecenas obiit Aquisgrani 814. aetatis 72. regni Francici 45. Imperii 14. — III. *Ludovicus Pius* filius *Caroli* M. Imperium paternum obtinens, mox a filiis impie exagitari coepit, sub quo inclinari coepit res Francica, nam ob mollitiem contemtus, a propriis vero filiis in vincula et monasterium detrusus, sed brevi in regnum restitutus, tandem in conventu Aquisgra-

---

a) Eginhardus, in vita Caroli M. et Monachus Engolismensis in vita Caroli M. Aimoinus L. 4. c. 69. Kranzius in Saxon. L. 2. c. 4. — 90. Aventin. Annal. Bojor. L. 3.

granensi *Christianissimus* appellatus, exactis potentiae suae 26. annis obiit an. 840. aetatis 64. Post cujus obitum vastum Francorum Imperium divisum fuit inter tres ejus filios ita, ut *Lotharius* Imperii dignitatem, Italiam, Burgundiam et Àustrasiam, *Ludovicus* Germaniam, et *Carolus Calvus* Franciam obtineat: quae divisio maximarum turbarum origo exstitit. IV. *Carolus Calvus*, *Ludovici Pii* filius imperium obtinens, mox bello fratris excipiebatur, sed pugna ad *Fontinatam* villam comissa contra *Lotharium* fratrem victor evasit; *a*) quo in praelio tantum Francici sagvinis fusum est, quantum hactenus fusum non erat, post haec 875. coronam fratris *Lotharii* quam obtinuerat, non diu tenere potuit, nam brevi 877. veneno opera Medici Judaei sublatus est. Cui successit V. *Ludovicus* II. *Balbus* in regnum sed non in Imperium, cui post tres annos mortuo successerunt filii VI. *Ludovicus* et VII. *Carolomannus*, qui fraternis dissidiis intenti usque annum 885. mortui sunt, quo anno Regnum Francorum obtinuit VIII. *Carolus Crassus* qui licet regnum Longobardicum occupasset, *b*) Germaniae partem mire turbatam sibi subjecisset, et *Hugonem* Tyrannum oppressisset, bella tamen contra Northmannos adeo infeliciter gessit, ut iis Neustriam possidendam daret;

a) Rhegino. ad an. 875. Aimoin. L. 5. c. 32 — 35.
b) Idem. c. 40. Rhegino an. 881.

daret; quare eum plurimi Germaniae populi deserentes, regnum et Imperium deserere coactus ad *Arnulphum* Bavariae Regem profugit 888. qua occasione IX *Odo*, Roberti Francorum ducis filius Rex Franciae electus est, quem *Carolus simplex* ubi adolevisset regno depellere volens, celebrem de Normannis ad montem *Falconium* reportavit victoriam 889. cui demum decimo regni anno successit, X. *Carolus simplex* in quo *Caroli M.* posteritas jam nimium labescebat, cujus imbecillitate usi Normanni jugum excutere tentarunt, qui pace compositi denuo rebellarunt; *Carolus* a suis destitutus et 923. ad Augustam Suessionum victus una cum XI. *Roberto* regni invasore, hic in proelio interiit, *Carolus* vero *Simplex* tardius 929. ex moerore animi contabuit. In cujus tanta ignavia, interea an. 923. XII *Rudolphus* dux Burgundiae Rex Francorum salutatus est; qui licet Nortmannos debellaverit, nimis tamen factionibus distentus auctoritatem suam fulcire non potuit, quo 936. mortuo, *Ludovicus Transmarinus* Caroli simplicis filius, qui patre de regno deturbato in Angliam se receperat, nunc ad regnum Franciae recuperandum revocatus, mox *Herbertum* Comitem, qui patrem ejus captivum tenuerat, strangulari curavit, quare ab *Hugone* Parisiorum comite captus, sed per *Ottonem* regno restitutus, illud non majore felicitate quam pater administravit

19.

19. annis. Cui successit filius XIV. *Lotharius* qui dum fratri suo *Carolo* Lotharingiam eripere conaretur, ab *Ottone* repressus est, qua occasione *Hugo Capetus* Dux Franciae salutatus fuit. *Lothario* vero anno imperii 32. mortuo successit filius 986. *Ludovicus* ultimus e *Caroli M.* stirpe Rex Francorum, qui altero regni anno a conjuge sua *Blancka* veneno sublatus est: *a*) cui quidem mox *Carolus* patruus succedere voluit, sed Franci eo quod Germanis addictior videretur, Regnum detulerunt *Hugoni Capeto*, unde coorto bello civili, *Carolus* ad Laudunum pugna victus, dein proditione *Ascelini* Episcopi captus, et ad mortem usque per *Hugonem* detentus est, cui quidem in Lotharingia successit filius *Otto*. Ac proin dum Regnum Francicum ad tertiam stirpem regnantem *Capetingicam* translatum erat, Stirps *Carolingica* non fuisset exstincta.

Tertia stirps Regum Francorum Capetingica.

I. *Hugo Capetus*, cujus pater *Hugo Magnus* decrescente familia *Caroli M.* maximam poten-

---

a) Paul. Aemlian. L. 3. et 4. De Carolingicis regibus et Imperatoribus, vidimus scriptores supra sub Romano Germanico Imperio. Huc faciunt Petri Pithoei Annales Francorum. Item Annales Regum Francor. Pipini, Caroli M. et Ludovici Pii. Coloniae 1562. in 12. Adelmi Benedictini Annales Francor. Regum. Hanoniae 1613. fol.

potentiam acquirebat, qui licet per *Ottonem M.* magnam cladem acceperat, tamen an. 958. moriens reliquit successorem *a*) *Hugonem Capetum*, qui 987. communi Francorum consensu Rex electus, novam regum Francorum Familiam feliciter inchoavit; quae per tercentos et amplius annos Regnum obtinuit: *Carolum* Lotharingiae principem debellans, deinceps tranquillo regno per 9. annos usus est. Cui an. 996. successit filius II. *Robertus* princeps alias religiosus et literatus, a *Sylvestro II.* Pontifice tamen sacris interdictus quod *Bertham* consobrinam jam viduam uxorem duxisset; qua dein repudiata *Constantiam* a summa pietase commendatam duxit, ex qua *Henricum* et *Robertum* filios suscepit, qui de regno acerbe inter se decertarunt, quoniam illum pater, hunc vero mater ad solium promovere voluisset. Hinc sopitis tandem turbis. III. *Henricus* patri subrogatus est. an. 1035. qui *Odonem* Campanum rebellantem ad officium revocavit; *Philippum* filium *Remis* se vivo in regem inungi curavit, eique *Balduinum* Flandriae comitem tutorem assignavit, et 28. regiminis anno obiit. IV. *Philippus I.* ob repudiatam uxorem *Bertham*

---

a) Wittechindus. L. 3. Paul. Aemilian. L. 3. de gest. Francor. Kranzius. L. 3. c. 23. Saxon. Robert. Gagvinus, de gest. Francor. L. 5. De Hugonis genere vide Jacobum Chiffletium. Vindicias. Hispan. c. 1. et Blondellum.

tham ab *Ur bano* Pontifice fuit excommunicatus, sed biennio post cum Ecclesia reconciliatus; eo regnante in concilio *Claromontano* agente imprimis *Urbano* Pontifice tessera data *Deus vult!* primum bellum sacrum decretum est in terram sanctam, et diuturno Imperii anno 48. obiit; cui 1108. successit V. *Ludovicus* VI. *crassus* dictus, qui ubi adolevisset Regiam potestatem augendam, nobilium vero minuendam statuit, colonis liberam migrationem permittendo, et civitates liberas instituendo; unde adversus suos bellum pro libertate Ordinis Ecclesiastici gessit; cum *Henrico* Anglo ob Normanniam graviter pugnans et Normannos et Anglos profligavit: demum 29. regni anno mortuus est, cui 1137. successit alter filius VI. *Ludovicus* VII. qui *Leonoram* uxorem deliciis corruptam ob adulterii suspicionem dimisit, quam dein *Henricus* Andegavensis duxit, quae dotem a Rege repetendo tristissimum bellum concitavit: Rex hic a *Theobaldo* etiam Comite graves injurias et populationes ferre debuit, donec *Theobaldi* filiam *Adelam* matrimonio sibi junxisset, ex qua suscepit filium *Philippum Augustum*; cujus nativitatis tempore, *per quietem visus est videre filium ex se natum calicem humano sangvine Proceribus miscere.* Ceterum ejus regno graves turbas dedit etiam *Anacletus* Antipapa; demum an. 44. imperii mortuus est; cui 1180. successit VII. *Philippus Augustus*, juvenis 16. annos natus eximia virtutis suae speci-

cimi-

cimina edidit; nam Judaeos sacra Christiana assumere detrectantes exilio multavit: dein cum *Richardo* Angliae rege expeditionem in Terram Sanctam adornavit, sed ob graves dissensiones inter utrumque regem exortas, *Philippus* brevi reversus, mox plurimas provincias quas Angli in Francia possidebant invadens, easdem *a*) etiam ditioni suae subjecit: similiter et cum Imperatore *Ottone IV.* ad Flandriae oppidum *Bovinium* pugnans, insignem victoriam de eo reportavit. Uxorem suam *Canuti* Daniae regis sororem repudiavit quidem, sed vi Synodorum denuo recipere cogebatur: quoniam autem Angliae regem continuo regno excutere niteretur, ideo stabilem militiam instituit: qui demum ad a. 1223. moriens *Sexagena millia aureorum Brenno legavit* ad bellum sacrum suscipiendum.
VIII. *Ludovicus VIII.* patri succedens mox Anglis *Rupellam* omnemque in Gallia regionem ademit, contra Albigenses, quos *Raimundus* Tolosanus Comes fovebat bellum gessit, sed peste infestatus plus quam 22. millia ex exercitu praeter alios maximos viros amisit, imo ipse etiam rex eadem peste exstinctus est 1226. Cui eodem anno successit IX. *Ludovicus* IX. *Sanctus*, sub tutela matris *Blanchae*, quae prudentissime filium in omnibus salutaris doctrinae principiis educavit, regnumque utiliter administravit; cujus

---

a) Paul. Aemilian. L. 6. et 7. Crantzius. L. 7. c. 35. Papir. Masson. L. 3. Hist. Matthias Parisiensis in Joanne et Henrico.

jus filius adultior zelo propagandae religionis ardens, infelicem expeditionem in Terram sanctam suscepit; nam licet *Damiatam* expugnaverit; et initio etiam Saracenos superaverit; verum postea victus, et *Roberto* fratre suo jam interfecto, ipse etiam cum fratribus suis *Carolo* et *Alphonso* captivus abductus est; unde liberatus postquam *Theobaldum* Campaniae Comitem cum sociis in ordinem redegisset, mox cum Angliae rege pacem de Francicis ditionibus iniens, aliam sumsit expeditionem in Palaestinam, qui in Africam transiens *Carthaginem* subegit, *Tunetanum* regem 10. millium caede profligavit, sed ubi *Tunetum* obsideret, saeva peste vexatus, maximam exercitus partem amittens, ipse in reditu horrendis procellis agitatus, et peste extinctus 1270. demum in numerum Sanctorum relatus est. Cui in regno successit filius X. *Philippus* III. *Audax*, mortuo *Henrico* rege Navarrae mox filiam ejus *Johannam* filio suo *Philippo* in uxorem ducens, eidem filio Navarrae regnum acquisivit; sed Galli eo regnante tristes *Vesperas Siculicas* in Sicilia 1282. seu clades passi sunt. *a*) Interim dum Arragoniam *Carolo Valesio* fratri a Pontifice adjudicatam revindicare vellet, *Petrum* Arragonium regem memorabili pugna ad *Gerundam* vicit et lethaliter vulneravit; cumque Pictonum et Tolosa-

a) Die 30. Martii. feria 2. Paschatis accidit. Johan. de Prochyta impulsore testatur Thomas Fazellus. Dec. 2. L. 8. c. 4. Corcius Sabell. Ennead. 9. L. 7.

losanum comitatus regno suo adjecisset, ex bello reversus decessit, postquam regnasset annos 15. Cui successit 1285. filius. XI. *Philippus* IV. *Pulcher*, qui contra Arragonium infeliciter pugnavit; diuturna bella cum Anglis, eorumque foederatis Flandris gessit, *a*) dein Anglo reconciliatus Aquitaniam restituit, sed Flandriam *Vidone* duce rursus capto occupavit, a cujus filiis dein magna clade victus est; nam 700. aurea Calcaria caesorum Gallorum a Flandris in signum victoriae suspensa sunt, ceterum et Flandri denuo non minori clade ad Fanum *Odomari*, *Arriam* et *Tornacum* profligati erant. Posthaec *Lutetiae* fere a plebe obsessus erat ob corruptam monetam, tumultuantes tamen feliciter composuit. Dein adulteros uxorum filiorum suorum, verendis avulsis suspendi curavit. Cum *Bonifacio VIII.* Pontifice gravissimis dissidiis colluctatus demum sacris interdictus est quod sacram militiam detrectasset. Tandem consentiente Pontifice Templariorum ordinem equestrem delevit, et mortuus est a. 1315. cui successit XII. Ludovicus X. filius, *Hutinus* dictus; jam antea Navarrorum rex creatus erat, quo eodem anno sine liberis mortuo acris contentio enata est de successione; ceterum tamen mox ei successit frater XIII. *Philippus Longus* qui Judaeos ex Francia expulit: eique mortuo successit 1322. frater

XIV.

---

a) Paul. Aemilian. L. 8. Polydor. L. 17. item Annales Flandriae. et Bayerlink in Theatro.

XIV. *Carolus* IV. *Pulcher* dictus, qui Anglos tam felici bello contrivit, ut in Franciam pacem suppliciter oraturi venire cogerentur. Hic ultimus de stirpe Capetingica Francorum rex sine haerede decessit an. 1328. post cujus obitum funestissimarum caedium theatrum evasit Gallia; *a*) de regno enim obtinendo acerrime contendebant *Philippus Valesius* et *Eduardus* III. Rex Angliae: quibus durantibus excluso rege Angliae, successor datus est *Philippus Valesius*.

Quarta stirps Regum Francorum Valesiana.

I. *Philippus IV. Valesius* 1328. consensu Francorum Regnum obtinens, illud jure haereditario ad suam familiam transcripsit, aemulum suum *Eduardum III.* Anglum; gravissimis bellis afflixit, a quo tamen praelio ad oppidum *Crecii* in Picardia commisso, exigua manu ma-

gna

---

a) Historiam Familiae Capetingicae literis consignarunt: Matthias Zampanus, de orig. Hugonis Capeti. Parisiis 1581. Adrianus Jordanus. Parisiis 1679. Francorum Historiae ab a. 900. — 1283. ex Bibliotheca Petri Pitheoei. Francofurti 1596. ubi complures scriptores continentur, uti Glabri, Helgaldi, Rigoldi, Armorici, Brajae, Nangiaconis. Dein Gulielm. Brito, Joinville, Menardus, Gabriel, Autevil, Varillasius, et fratres Puteani.

gna clade affectus est, postea tamen *Caletum* expugnavit; bellum hoc centum integros annos duravit, ex quo *Philippus* rediens, jura Ecclesiastico tuendo, nomen *Catholici* meruit: auxitque regnum Delphinatu, nam *Humbertus* Delphinatus princeps monasterium ingressurus, *Delphinatum* ea lege *Philippo* donavit, ut majores regum filii successores throni, Domini Principatus sint et *Delphini* vocentur; *a*) cumque non modicum salis vectigal *Philippus* Francis imposuisset, ab *Eduardo* aemulo suo non sine joco *Author Legis Salicae* dictus est. *Philippus* mortuus est 1350. et successit ei filius

II. *Joannes*, qui bello adversus Anglos gesto, patre infortunatior fuit, nam in Aquitania ad Pictavium victus et captus in Angliam abductus, 7. millia caesa, 1700. nobiles occubuerunt, ipse vero durissima pactione postquam Anglis Aquitaniam totam tradidisset, et tricies centena millia aureorum solvisset, libertatem recuperavit. Sic infelix rex mortuus est a. 1364. cui successit filius.

III. *Carolus V. Sapiens* Literarum et Literatorum eximius cultor, qui dum patris avique exemplis didicisset invictos esse Anglos, omnem eorum impetum consilio potius quam armis frangere studuit; quod planum ipsi adeo feliciter successit, ut pulsis ex tota Gallia Anglis, nihil deinceps ibi praeter *Caletum* possiderent;

a)

---

a) P. Aemiliam. L. 9. Frossardus. L. 1.

a) unde Rex Angliae dicere solitus est: nullum sciri hostem qui illo minus armaretur, et plus negotii facesseret: qui mortuus est 1380. cui successit Filiolus

IV. *Carolus VI.* Sub tutela patrui *Philippi* Burgundi bellum Flandricum feliciter quidem gessit; nunquam tamen tristior erat Galliae facies; nam quum Rex per intervalla deliraret, Proceres Galliae de administratione regni inter se acerbe contendebant; qua occasione bellicosissimus Angliae rex *Henricus V.* uti volens, magno impetu Galliam invasit, et magna Galliae parte subjugata, *Carolum VI.* ad eas durissimas pacis conditiones coëgit, ut excluso *Delphino* coronae principe, tutela regni Galliae cum spe successionis ad Regem Angliae transferretur. Interim *Carolus Benedictum* Pontificem ab unione alienum in Arragoniam exturbavit, et *Annatas* ex regno exportari inhibuit. *b*) *Carolo VI.* mortuo, filius successit, 1422.

V. *Carolus VII.* initio statim amissis plurimis civitatibus, passim a suis per ludibrium *Rex Biturigum* fuit vocatus, quod potissimum ea in urbe commoraretur; imo quod et Anglorum rex *Henricus VI.* Parisiis jam Galliae rex crearetur; igitur et regnum recuperaret, cum Anglis vario marte bellavit; cumque nulla spes *Carolo* recuperandi regni affulgeret, puella quae-
dam

---

a) Frossardus L. 2. P. Aemilian. L. 10. *b*) idem. ibid. Calvisius in Chronol.

dam nomine *Johanna* Lotharingica, (juxta alios Aurelianensis) de improviso regi apparuit dicens: se divinitus missam venire ut obsessam urbem *Aureliam* liberaret, et eum Regem coronaret, quae licet vana promissio esset, utrumque tamen perfecit; cujus rei fama vulgata, miraculo quasi attoniti Angli, jam vel ad nomen *Puellae* trepidabant; quae reipsa postquam diu flagellum Anglorum fuisset, tandem capta, et artis Magicae accusata combusta est. Post cujus obitum, Anglos semel subito terrore correptos, et sub minorenni rege sinistris casibus turbatos, tanta clade *Carolus* affecit, ut eos ex toto regno depelleret, et Aquitaniam eis eriperet, qua occasione *Carolus* Lutetias veniens *Sanctionem Pragmaticam* publicari curavit, et *Ludovicum* filium rebellem licet in Burgundiam fugasset, ei tamen 1461. mortuo successit. *a*)

VIII. *Ludovicus* XI. Princeps subdolus sed prudens, contra quem Proceres regni associato sibi *Carolo Burgundo* bellum publicum moverunt, quorum tamen consilia prudentia sua dissipavit, omnibus quaequae peterent abunde tribuendo; distractos ita a se invicem, dein singulos est agressus. Contra potentiam vero *Caroli* Burgundi munivit se Angliae Regis Ministris annua stipendia solvendo, ut regem Angliae ab invadenda Gallia continerent, utque

h eos

a) P. Aemilian. L. 10. Polydor. L. 23. Phil. Cominaeus. L. 1. — 4.

eos in obsequio teneret, Chirographa in fidem accepti stipendii sibi dari postulavit. Quo facto tutus, primus e Franciae regibus viam stravit ad absolutum dominium, quoniam antea regum potestas nimium esset circumscripta; in quem finem, contemtis proceribus, vilissimorum hominum consilio, in rebus etiam maximi momenti usus est. Mortem ad stuporem metuit, hinc quoties Medico in mentem veniebat mortem ipsi minari, toties iram ejus pecunia placavit, praeter menstruum stipendium X. mille aureorum: tamen mortuus est 1483. successorem filium relinquens

IX. *Carolum VIII.* quem pater latine scire vetuerat praeter illud unum: *Qui nescit simulare, nescit regnare.* Hic regnum Neapolitanum jure sibi deberi praetendens, valida expeditione adornata, brevi totam Italiam inundavit, qui terrorem suorum et Helvetiorum insolitis armis tantum Italis incussit; ut hi Gallos et Helvetios inhonestos hostes dicerent, utpote qui contra jus gentium in Italia receptum, tantam hominum caedem edidissent; verum contra formidinem *Caroli VIII.* plures Principes conspirantes, regnum Neapolitanum vi raptum, pari facilitate receperunt. *a*) Hinc domum reversus, amisso prius trienni filio, mortuus est 1498.

a) Paul. Jovius L. 2. — 4. Phil. Cominaeus de bell Neapol. L. 1. — 5.

1498. hoc dicto: *Spero me nihil facturum deinceps quo Deum offendam.*

X. *Ludovicus XII.* Dux Aurelianensis successit, qui ut regnum Neapolitanum revindicaret, junctis cum Hispanis viribus, *Fridericum* Neapoli deturbans, ejus regnum cum Hispanis divisit, quum tamen divisio inaequalis esset, Hispani mox exturbatis inde Gallis *a*) totum sibi vindicarunt: qua vice *Carolus* Rex perfidum *Ludovicum Sfortiam* cepit una cum Mediolano; sed inde quoque pulsus est a conspirantibus Europae Principibus, qui jam invidis cernebant oculis Gallorum in Italia progressum. Postea Venetos afflixit. *Julium II.* Pontificem virum bellicosissimum, caede decem millium repressit; sed et ipse ab Helvetiis, magna clade affectus est, cujus causam *Thuanus b*) refert. Ceterum *Ludovicus XII.* ob Clementiam et Justitiam Pater Patriae vocatus obiit 1515.

XI. *Franciscus I. Valesius* proximus *Ludovici XII.* agnatus, initio statim cum exercitu in Italiam profectus, obvios sibi invictos Helvetios vicit, Ducatum Mediolanensem recepit, *Maximilianum Sfortiam* captivum abduxit: perpetua gessit bella cum *Carolo V.* Germaniae Imperatore, a quo etiam in proelio *Ticinensi*

h 2

a) Paul. Jovius L. 2. — 4. Phil. Cominaeus de bell. Neapol. L. 1. — 5. Mariana de reb. Hispan.
b) Thuanus. Hist. L. 1. p. 11. a. edit. Genuen. et L. 5. p. 12.

cinensi vivus captus et in Hispaniam abductus, durissimis conditionibus liberatus, nam *Flandriam*, *Artesiam* et *Tornacum* item *Lucemburgum* amisit, vicies centena millia aureorum Caesari solvit; nihilominus tamen conatus Imperatoris obviam eundo nimium impedivit ne aequilibrium turbaretur. *a*) obiit a. 1547. ut Princeps Literarum summus fautor, cui literae humaniores multum debent, ejus enim munificentia undique exquisiti erant celeberrimi viri; et scholae publicae *Lutetiae* sunt institutae.

XII. *Henricus II.* Francisci I. filius bello Smalcaldico clarus, cum Principibus Germaniae adversus *Carolum V.* Imp. infesto agmine in Germaniam profectus praecipuas Imperii limitaneas urbes *Metas Tullum* et *Verodunum b*) occupavit, ad quas recipiendas Imperator 100. millia militum incassum convertit, nam *Francisco Guisio* duce, Metenses fortiter se defenderunt. Verum *Henricus* adversus Hispanos minus feliciter pugnavit, nam ad Fanum *S. Quintini*

---

a) Guiciardus Franciscus L. 17. Thuanus. L. 1. et 3. Petrus Matthaeus in Historia Franciae. Parisiis. 1631. Martin. Bellay. Hist. rer. Gallicar. sub Francisco I. et Henrico II. Francoforti 1574. Franc. Dolettus. Lugduni 1543. *b*) Thuanus in libris Historiarum sui temporis ab an. 1543. usque 1607. libris 138. Guilielmus Paradini, de motibus Galliae. Lugduni 1558. Joan. Serranus de statu Religionis et Reipub. Galliae Genevae. 1572.

tini profligatus pacem inire debuit; post haec brevi ex accepto in Hastiludiis vulnere mortuus est 1559. Sub eo exorta sunt gravia bella civilia causa religionis, ob teneram filiorum ejus aetatem, et viduae ejus regnandi cupiditatem, nec non Principum Guisiorum potentiam, quibus se opposuerunt Principes *Borbonii*, *Condeus*, Rex Navarrae *Antonius* et dux *Momorantius*, qui omnes specioso religionis titulo regnum affectabant.

XIII. *Franciscus II.* sedecim annos natus, quum potissimum consiliis *Guisiorum* regeretur, Mater vero *Catharina Medicea* ad regiam potentiam sustentandam *Hugonottos* (seu Protestantes qui pro *Capetingicis* Principibus stabant) persequeretur, gravissimis bellis civilibus ansam praebuerunt, quibus Gallia vehementer erat convulsa duce *Ludovico Condaeo;* verum conjuratione Hugonottorum et nobilitatis mature detecta, foederati justo supplicio affecti sunt, *Condaeus* etiam et *Antonius Navarraeus* frater in custodiam dati, interfici debuissent; nisi subita mors *Francisci* regis intervenisset, qui in turbido rerum statu sine haerede decessit 1560 *a*), cui successit frater

XIV. *Carolus IX.* cujus tutelam suscepit Mater *Catharina Medicea* ea lege consensu Statuum; ut ob debilem regis aetatem Vicarius esset *Navarraeus*, Mater vero Gubernatrix. Initio

---

a) Thuanus. L. 23. 24. 24. 26.

tio statim regiminis anno 1561. habitum fuit *Colloquium Possiacenum* inter Theologos Romanos et Reformatos, praesente rege, regina, Cardinalibus, Principibus et Senatu, ubi de Religionis praecipuis articulis acerbe erat disputatum. Colloquium hoc secuta sunt funestissima quinque bella civilia, et celeberrima proelia erant commissa ad *Rotomagum* et *Druidum* urbem; *a*) ubi ex utraque parte ultra octo millia occubuerunt et victoria penes Hugonottos mansit. Verum post iteratas etiam pacificationes, et cruentissimas caedes, quum observassent Catholici, Hugonottos armis expugnari non posse, eo consilia contulerunt; ut quum plurimi Hugonottorum Proceres ad celebrandas nuptias *Henrici Borbonii* Navarrae regis cum *Margaretha Caroli IX.* sorore, *Lutetiam* invitati comparuissent, 1572. die S. *Bartholomaei*, dum signum pro matutinis precibus daretur, omnes praesentes Hugonottos immaniter trucidarunt, initium caedis a *Colinio* Amirali factum est; Parisiorum exemplum mox reliquae etiam Civitates imitatae sunt tanto furore; ut per septem dies 30. millia hominum caesa fuisse dicantur. Caedes haec insperata Parisiensis, dein dicta fuit *Laniena S. Bartholomaei*, vel *Nuptiae Parisienses:* ubi praecipui Reformatorum erant trucidati excepto *Henrico Navarraeo* et *Condeo* qui mox religionem Catholicam professi mor-

a) Thuanus. L. 33. 34.

mortem evaserunt: unde funestissima nova bella enata sunt; quibus durantibus *Carolus IX.* mortuus est: sub cujus regimine non deerant in aula vitia, luxus, et pravi mores. *a*)

XV. *Henricus III.* deserto regno Poloniae, fratri succedens, regnum Francicum *b*) factionibus scissum invenit: ac proin et ille sicuti fratres domesticis aeque ac externis; tumultibus nuper a *malecontentis* seu *politicis* concitatis agitabatur; potissimum ideo quod ipse voluptatibus deditus, omnem reipublicae curam in matrem *Catharinam Mediceam* transtulisset; ex quibus initiis mox nova in Regem factio enata est, specioso religionis titulo *Politici* cum Protestantibus foedus ineuntes, *Franciscum Alenzoneum* Regis fratrem ad suas partes trahentes, jus suffragii etiam in Senatu sibi praetendebant. Hinc Catholici bellum renovantes societatem inter se iniverunt sub nomine *Ligae Sanctae*, cujus auctor fuit *Henricus Guisius.* Haec liga tardius *Parisina* dicta, et Hispanorum opibus fulta adeo formidabilis evasit, ut rex sibi *Henricum Borbonium* Navarrae Regem conciliare, et

---

a) Thuanus. L. 57. Ernestus Waremundus in Historia Lanienae Parisiensis. Ediburgi. 1573. in 8. Joannis Cypriani disputatio de statu et motibus Galliae, laniena. Lipsiae 1674. Richardus Dinothus de bello civili Gallico causa religionis. Basileae 1586. in 4. *b*) Thuanus L. 58. usque 96. Philip. Huracult de Cheverny. Parisiis. 1636. Franc. Hottomannus. Cologne. 1586.

et Hugonottorum signa sequi cogeretur; quorum auxilio dum Parisios, quae in potestate *Guisiorum* et *ligae sanctae* erat, fortiter obsideret; *Henricas III.* a Monacho Dominicano *Jacobo Clemente* in castris cultro transfixus obiit 1588. cum quo stirps *Valesiana* exstincta est.

Quinta Francorum stirps Borbonica.

I. *Henricus IV.* Navarrae rex qui in nuptiis Parisiensibus sponsus erat, a Proceribus rex proclamatus diu adversantem sibi Guisiorum factionem ferre debuit ideo quod *Henricus* Reformatam religionem profiteretur; quare *Carolum Borboneum Cardinalem* sub nomine *Caroli X.* regem salutarunt *Guisiani*, hinc ad arma denuo ventum et intestinum bellum renovatum est, in quo rebellantes ad eas angustias redegit, ut exterorum auxilia petere cogerentur. Hinc post multas caedes quum rex observasset, quod tantis factionibus non aliter finis procurari possit, quam si is rejectis Hugonottorum Sacris, dominantem Religionem Catholicam profiteretur, quo facto ab omnibus Rex pronunciatus coronam Franciae in Familiam *Borboniorum* intulit, omnemque ligam sanctam seu conjurationem sustulit; a quo tempore Gallorum potentia ad tantum fastigium pervenit, ut brevi universae Europae invidiam moveret. Religionis Reformatae liberum exercitium permisit

Edicto

Edicto Nannetensi. Jesuitas qui factioni Hispanicae militabant, ob detectam in caput Regis conjurationem ex toto regno expulit, quos tamen ad intercessionem *Clementis* Pontificis ex exilio decennali, multum resistente Parlamento revocavit. Bellum cum Hispanis gestum *a*) post triennium finitum, et *Caletum Henrico* restitutum est. *Margaretham* Valesiam ob sterilitatem consensu Pontificis dimittens *Mariam Mediceam* duxit. Conjurationem in se initam authore *Bironio* Marescallo dissipavit, et de primipilis poenas dedit. Postea e toto orbe Christiano unam rempublicam formare meditabatur, sed nefaria pessimi hominis *Francisci Ravalliac* manu interemtus est 1610. regni 21. successor ejus constitutus

II. *Ludovicus* XIII. novennis succedens, interea regimen Reginae matri commissum est, qui dum adolevisset consilio Cardinalis *Richelii* Ministri sui absolutum dominium in Galliam introduxit, Gallorumque potentiam ad invidiam auxit. Hispanos in Italia navali proelio ad *Genuam* vicit, Hispanorum fastum depressit, Hugonottorum vires attrivit, varia fortalitia destruxit, munitissimam urbem *Rupellam* stupenda obsidione expugnavit. In Germania bello

lo

a) Thuanus. L. 110 — 132. Ludovic. Lucius. Hist. Jesuv. L. 4. c. 3. Lanzius in orat. p. 323. Jul. Caesar. Bulinger in Hist. Petrus Mathei. in Hist. Henrici IV.

lo tricennali clarus, Caesareanos ad *Buquenum* reportatis signis superavit. *Brisacum* post plurium mensium obsidionem, ubi obsessi prae fame jam cadavera et proprios filios ederent subegit; per *Vinariensem* et *Longevilium* duces praeclaras victorias reportavit. Tandem mortuus est 1643. successorem relinquens filium suum. *a*)

III. *Ludovicus* XIV. quinque annos natus patri succedens, initio ejus mater *Anna Austriaca* regnum gubernavit; sed dum adolevisset consilo Cardinalis *Mazarini* Ministri Gallorum rempublicam feliciter administrandam suscepit, Hugonottos revocato *Nannetensi* edicto ex tota Gallia exegit; quo facto Hugonotti in varias Europae regiones se receperunt. Artes et scientiae Regis favore ad maximum culturae gradum in Gallia pervenerunt; multisque aliis suis institutis praeclarissimis regnum ornans, orbem summa nominis celebritate replevit, qui ob eximia bellica facta, relatasque egregias victorias, *Magni* nomen meruit; tandem septvaginta fere annos feliciter regnans, decessit 1715. *b*)

IV.

---

a) Scipion Dupleix. Hist. Ludovici XIII. edidit. Parisiis 1637. Baptista Legrain. Parisiis 1619. Carolus Bernard. Claudius Malingre. Parisiis 1616. Bartholom. Gramondus Amstelodami 1653. Michael le Vassor. Amstelodami. 1700. Joan. Labardaei. de rebus. Gallicis Parisiis 1671. *b*) Beniamin. Priolus. Parisiis 1663. Du Londel. fastos Ludovi-

IV. *Ludovicus* XV. pronepos *Ludovici* XIV. juvenis quinque annos natus, regni administrationem *Philippo Aurelianensi* tradidit; quo permittente non levem strepitum excitarunt in Gallia lites *Quesnellianae*, successive autem graviores turbas movit Constitutio Apostolica *Bulla Unigenitus* dicta, a Pontifice *Clemente* promulgata, unde controversia Theologica erat excitata. Rex hic ubi adolevisset, 1725. regiam potestatem exercere coepit, sed brevi regni gubernium *Cardinali Fleury* Ministro praestantissimo committens, moderate et prudenter omnem reip. partem illustravit, Lotharingiam obtinuit, sed contra domum Austriacam pro evertenda sanctione Pragmatica minus feliciter cum *Maria Theresia* pugnavit: nihilque ad Rhenum, quam pace Aquisgranensi tranquillitatem regno procuravit. Qui dum variis regni negotiis occuparetur a Sicario quodam *Roberto d' Amiens* cultro venenato confossus, sed mox extracto cultro, brevi feliciter sanitati fuit restitutus. Postea bellum cum Britannis causa limitum provinciarum Americanarum improspere gessit, nam acceptis terra marique cladibus, tandem pace *Versaliensi* 1763. totam Canadam, et partem Lovisianae Anglis relinquere cogebatur. Cum Borussis aeque minus feli-

---

ceanos edidit Parisiis 1694. Franc. Menetrier. Parisiis. 1689. fol. Caroli de la Rue. tractatus de victoriis. Parisiis. 1667.

feliciter pugnavit, Corsicam tamen fugato duce *Paoli* in suam potestatem redegit. Sed domi 1770. intestinis seditionibus ansam praebuit, dum tributa et vectigalia gravia suis imposuisset; hinc cum suis Ministris in odium populi venit, praesertim quum omnia negotia magis assentatorum consilio quam suo tractaret, unde publicis votis taediosum proclamarunt ejus imperium, qui mortuus est 1774.

V. *Ludovicus* XVI. prioris nepos, ut regiam obtinuit potestatem, mox exquisitis studiis populi favorem demereri voluit; ideo tributa imminuit, commerium liberum permisit, Ministros populo invisos amovendo, et antiquos suis officiis reponendo, Aulae luxum temperando, publicum aerarium instaurandum decrevit: verum ex alia parte magna vis pecuniae ad restaurandam classem et bellum Americanis inferendum convertebatur; 1778. quod bellum magna virium contentione in America et Europa gerebatur in confoederatione Anglorum, qua tempestate dudum desiderata Anglorum potentia est humiliata, Gallica vero classis illustrior effecta, fructum belli reportarunt insulam *S. Luciae* et *Tabago*, ut pace *Versaliensi* 1783. conventum est, vi cujus Coloniae Angliae liberam rempublicam coustituerunt. Verum haec sperata Gallorum potentia non erat diuturna etiam cum foedere Belgarum; nam enormia illa debita, quibus Gallia erat obruta, nec quidem Anglorum et Svecorum Mercantilis amica societas juvare poterat;

rat; hinc freqentes Ministrorum mutationes, gravia tributa imposita putabantur esse apta media ad restaurandum aerarium; interim autem postquam Aerarii Praefectus *Necker* arcanum aulae manifestavisset, patuit publica debita quovis anno augeri 60. millionibus Librarum: quibus rebus reparandis optimi quique remedia quaerentes, imprimis contendebant communia talia mala, communibus Comitiorum suffragiis fore curanda; sed quia Comitiorum celebratione Rex dominatum suum subvertendum putaret, diu reluctabatur; qui demum gravissimas in provinciis seditiones observans 1789. Comitia *Versaliis* celebrari indulsit, cujus tristissima erant consectaria: nam ad illa Generalia nationis comitia, communibus populi suffragiis electi erant Ablegati e Proceribus et Nobilibus 300. ex Clero 300. ex civibus 600. qui de regni negotiis jus haberent deliberandi. Interim hi in praemeditatas dudum factiones initio statim dilapsi, maximis seditionibus ansam praebuerunt, licet tranquillitatis procurandae causa 50. millia militum circa Versaliam fuissent ordinata; quam optimam politicam ordinationem *Philippus* dux Aurelianensis eam in partem interpretari coepit, quasi rex urbem evertere statuisset; hinc mox exorta gravissima seditione, cuncti regem criminabantur quasi nullo boni publici sensu tangeretur, eum subito libertate et regia dignitate privarunt; quoniam omnis militia praeter Praetorianos, factiosis adhae-

haesisset. Hac tempestate Natio, Rege in custodiam dato, *Conventum Nationalem* seu *Senatum* ex mille ducentis viris constituit; penes quem summa potestas de republica disponendi esset, cujus consilio omnis nobilitas sublata, et civilis aequalitas decreta fuit, 1790. Sequente anno *Nova Constitutio* e fuga revocati regis subscriptione roborata, novis tumultibus occasionem dedit: nam post magnam Nobilium et Praetorianorum caedem, ipsum regem duram in custodiam conjecerunt, et postquam Imperatoris *Francisci* II. item Borussorum copiae frustra in Cataloniam regis detenti causa expeditae Galliam deseruissent; mox Regem in Judicium populi tractum, proditionis patriae reum declarantes 1793. die 21. Januarii supplicio vulgo *Gilotin* una cum *Antonia* Regina affecerunt; cujus filius *Ludovicus XVII.* sub populari educatione post 'duos annos scelere aliorum extinctus est: qua impia tempestate frater caesi Regis *Ludovicus* XVIII. patriam clam deserens, Regis Galliae nomen assumsit. Caedem Regis exceperunt cruentissima bella interna et externa; Nationalis enim Conventus in factiones scissus; constitutionibus ferendis intentus, graves factiones uti *Terroristarum* et *Roberspierii* produxit; quorum crudelitates tantisper oppresserunt *Moderatistae* seu tertia factio 1794. qui hanc regiminis formam statuerunt: ut potestas leges ferendi sit penes duplicem *Senatum* nempe *Juniorem* qui ex 500.

et

et *seniorem* qui ex 250. viris constarent; potestas vero executiva penes quinque viros esset, qui *Directores* vocarentur.

Post haec cruentissima bella gerenda erant Gallis terra et mari contra Austriacos, Borussos, Germanos, Anglos, Hollandos, Hispanos, Portugallos, Sardinienses, Neapolitanos, Florentinos aliosque; qui omnes variis agminibus et viis in Galliam irumpentes, quaquaversum Galliam funestissimis caedibus impleverunt; Gallicasque provincias hinc inde sui juris fecerunt. Verum Galli Regiae dignitatis inimici, incredibili constantia parique crudelitate occupatam Galliam hostibus eripuerunt; novamque Rempublicam legibus propriis adeo firmarunt; ut Borussi, Hollandi, Hassus, Hispani et Florentini pacem cum Republica Gallica 1795. iniverint; ceteri vero continuato bello fortunam Gallorum nulla ratione impedire poterant; vel maxime tunc, dum exercitui Italico *Bonaparte* fuisset Dux renunciatus, qui incredibili audacia Sardos et Austriacos tripplici praelio superans, Rempublicam constituit, et occupatis provinciis etiam Reipublicae formam imposuit. Pari felicitate etiam alii Gallorum duces *Moreau* et *Jourdan* Germaniae principes ad pacem coëgerunt. Angli tantisper feliciores, nonnullas Gallis insulas eripuerunt. Felici Gallorum successu territus ipse Pontifex *Pius* VI. pacem cum Gallis 1797. inivit. Postea *Bonaparte* novo cum exercitu nemine

mine

mine fere resistente Austriacas ditiones ingressus, Tergestum, Forojulium, Carinthiae et Stiriae partem usque Graecium occupavit, cujus potestati etiam Venetae se subjecerunt; tandem pax cum Austria eo anno in *Campo Formio* confecta est. Hinc *Bonaparte* a 1798. in Aegyptum missus, feliciter Melitam, Alexandriam, Cairum et totam Aegyptum subjugavit, inde in Syriam profectus undique hostilitates exercendo, Turcarum Imperatorem adeo commovit, ut in confoederatione Russorum, qui jam antea arma cum Anglis et Neapolitanis junxerant, bellum omnium cruentissimum Galliae denunciaret; sed fortuna ubique Gallis favente, licet *Nelson* Angliae rei Praefectus Gallicam classem ad Alexandriam profligavisset; ad Rhenum tamen Galli uti Vaadtlandiam, ditionem Romanam Pontificum, Genevam, Hollandiam, Neapolim aliasque Civitates in Rempublicam commutarunt, unde inter Europae Principes novum foedus contra Gallos coaluit. Hinc

Bellum II. cum Austriacis et foederatis erupit, soluto enim congressu *Rastadiensi* Russi duce *Suvarow* cum Austriacis conjuncti, post plures victorias, tandem in Helvetia a *Massena* magna clade attriti se retrahere cogebantur. Inter haec *Bonaparte* elusis in Aegypto hostibus domum reversus, *Dictatoriam* potestatem evertens, ipse primus *Consul* electus quietem internam restituit. Sed mox partem exercitus ipse

ipse, aliam vero *Moreau* contra Austriam adornavit, ac Alpes feliciter transiens, 1800. Austriacos memorabili proelio ad *Marengo* tanta clade attrivit, ut ad inducias petendas animum flexerint; imo dum *Moreau* etiam Viennam obsidere vellet, mox *Franciscus* Imperator a. 1801. die 9. Febr. pacem *Lunaevillae*, Angli vero sequente anno *Augustae Veramanduorum* concluserunt. Post quas celebres victorias *Bonaparte* magnam auctoritatem obtinens, Reipublicae Italicae novam formam dictavit. Religionis negotium in ordinem redegit, et cum Pontifice tractans *concordata* promulgavit. *Legionem honoris* in virtutis bellicae praemium instituit. Qua ratione crescente Gallorum potentia, brevi dissensiones cum exteris Principibus renovatae sunt, omnium primo cum Anglis, qui non prius se *Melitam* dimissuros dicebant, quam Galli Hollandiam, Italiam, Helvetiam suis restituerunt; Sardiniaeque regi satisfacerent. Hinc confoederationes cum Russis et Austriacis contra Gallos sequebantur, imprimis quum de Principatibus occupatis libere disponeret, et 1804. Galliae Imperator proclamaretur; in quem a Pontifice *Pio VII.* unctus, ipse sibi Parisiis coronam imposuit, sequente vero anno Italiae rex Mediolani coronatus est. Ceterum *Bonaparte Napoleon* ad bellum paratus, mox exercitum contra Austriacos eduxit tanta celeritate, ut exercitum Austriacum duce *Mackio* et *Carolo Archiduce* deditionem facere compelleret, sic ne-

 mine

mine obsistente Austriam ingressus, *Viennam* cepit, inde in Moraviam veniens, Russos foederatos cruenta pugna ad *Austerlitz* superavit, ubi induciae conciliatae sunt, et quum copiae Russicae dimissae essent, *Pax Posoniensis* secuta est. Qua pace confecta plerosque Principes qui confoederationis contra se initae participes erant, dignitate amovit, quorum Principatus dein suis cognatis, Ministris et ducibus in proemium contulit; sic *Josephum* fratrem utriusque Siciliae regem jure haereditario creavit. *Ludovicum* alterum fratrem, Regem Hollandiae nominavit; Affinis *Joachimus Murat* Ducatum Civiae et Montium accepit; alios vero Germaniae Principes ad *Foedus Rhenanum* ineundum compulit, cujus Protector ipse *Napoleon* erat. Reluctantes Borussos una cum sociis Russis ad *Jenam* 1806. debellans, sequente anno pace *Tilsitensi*, Borussiae Rex *Vilhelmus* III. regiones inter Albim et Rhenum sitas amisit, ubi *Napoleon* regnum Vestphaliae erigens, tertio fratri suo *Hieronymo* tradidit. Item ex parte Poloniae Ducatum *Varsaviensem* Saxoniae regi dedit, quem *Napoleon* constituit. Galliae vero varias provincias adpinxit. Edictum contra Anglos promulgavit, vigore cujus omnem commercii nexum sustulit. De Portugallia dividenda tractatum inivit cum Hispaniae rege *Carolo* IV. quo periculo cognito, mox Regia familia se in Brasiliam recepit; hinc non tantum Portugalliam sed et Pontificis ditiones Galli occuparunt.

runt. Dein concitatis in Regia familia Hispanica dissensionibus, occasionem arripuit fratrem suum *Josephum* Hispaniae regem constituendi, cui in regno Neapolitano successorem dedit Affinem *Murat* 1808. Familia regia *Borbonica* ex Hispania iu Galliam fuit abducta, cujus amici in Hispania non contenti, majoribus viribus sedati sunt, qui etiam in congressu *Erfurtensi* nihil obtinere poterant. Sic crescente *Napoleonis* potentia, a cujus nutu et arbitrio jam vita et sors Regum et Principum pendebat; Austria ne quondam ab ejus potentia pendere cogatur mature evigilare coepit; hinc collectus exercitus in finibus Bavariae jam excubans 1809. brevi *Napoleonis* arma experiri debuit, hic enim commissis proeliis ad *Tann*, *Landshutum*, *Eckmühl*, et *Ratisbonam*, victricibus armis ultro profectus ipsam *Viennam* cepit, Pontificem omnibus bonis exuit; hinc ad *Aspern* ab advenientibus copiis Hungaricis magna clade profligatus, brevi ad *Wagramum* victor, copias Austriacas ad *Znoymam* repulit; quo in periculo pax *Viennae* ineunda erat, vi cujus non modo Italiae et Germaniae multas provincias, sed etiam Istriam, Tergestum, partem Croatiae et Galliciae, Austriaco Imperio ademit.

Durantibus his fortunae vicissitudinibus, Angli duce *Wellingtone* interim Hollandiam occupantes, Gallorum vires in se converterunt adeo: ut Galli brevi omnes regiones inter mare septemtrionale et Balthicum sitas sui juris facerent, et

commercium omne Anglis prohiberent. Imo postquam 1810. *Napoleon* matrimonio sibi junxisset *Mariam Ludovicam Francisci* Imperatoris filiam, foedus inivit cum Austria et Borussia ad evertendam Anglorum potentiam, cui plano quum Russi adversarentur, mox Gallorum vires contra Russos sunt versae, et felicissimis victoriis ad *Mohilev*, *Drissam*, *Polocki*, *Ostrovnam*, *Smolensk*, et *Mosaisk* reportatis, ad *Moscuam* usque pervenit; quam a Russis incensam, adveniente extraordinario hyemis rigore deserens, magna hominum et equorum jactura Parisios remeavit, et ad bellum instaurandum maximos apparatus instituit. Interim Russi inito cum Borussis foedere, in Germaniam irruerunt; et post multas datas et acceptas clades 1813. induciae sunt conciliatae, ut arbitro *Francisco* Imperatore de pace perpetua tractaretur Pragae; sed quum Galli omnes conditiones rejecissent, mox ipse *Franciscus Imp.* Russo et Borusso accessit, quibus pro libertate revindicanda cuncti Europae Principes arma sua contulerunt; quorum copiis fatigatus *Napoleon* exercitum domum reduxit; ubi brevi accepto 300. millium exercitu, se accurrentibus foederatis opposuit; sed mutata fortuna fere ubique victus; dum conditionem sibi propositam (ut Gallia antiquis suis limitibus restituatur) non acceptaret, bellum extremis viribus continuavit; sed foederati viribus superiores ipsos Parisios ceperunt; qua vice agentibus foederatis ex decreto Senatus, Imperio renunciare debuit, et re-

tento Imperatoris titulo in *Elbam* Insulam relegatus est. Uxori ejus *Mariae Ludovicae* Parma, Placentia et Guastalla Principatus in Italia sunt assignati. *Ludovicus* XVIII. vero ex Anglia ad possidendum regnum revocatus; foedus cum aliis Principibus inivit, et antiqui limites Galliae constituti sunt. Interim dum foederati post tristissima sangvinolenta bella de pace toti Europae restituenda, item de Imperiorum et regnorum juribus *Viennae* Austriae decernerent, *Napoleon* ex *Elba* egressus, Imperium Gallicum consentientibus Gallis resumsit; sed brevi a Foederatis decretorio proelio ad *Vaterloo* victus, dum in Americam transire voluisset, ab Anglis interceptus, et judicio Foederatorum qua captivus in Insulam *S. Helenae* translatus est 1815. *Ludovicus* XVIII. denuo throno restitutus, vigore pacis Parisiensis Gallia arctioribus limitibus circumscripta evasit, in expensas belli 700. milliones Francorum solvere, 150. millia foederatorum Militum per quinque annos ad Galliae securitatem ibidem relictos intertenere debent. Ceterum *Ludovico* XVIII. ex podagrae malo 1824. mortuo, in throno Galliae successit *Carolus X.* in quo spes Galliae denuo reflorescit, tanta est enim Galliae potentia ob numerum incolarum et provinciarum, ob magnos aulae Regiae reditus, ob artificum praestantiam et commercii florem, reique militaris in ista gente eximiam peritiam, ut licet recentissimis et cruentissimis bellis res Gallorum nimium afflictae fuerint;

rint; brevi tamen vires et nominis famam recuperare aliisque negotium facessere possint.

§. 5. *Status Literarum et Artium, in Gallia.* Primas literas post diluvium cum religione in Galliam importarunt *Noachi* et *Japheto* nepotes; tandem publica Gymnasia et scholas *Sarron* introduxisse putatur, unde divinarum et humanarum literarum Professores *Samothei*, et *Sarronidae* olim vocabantur: *a*) idem cum *Druidibus.* Rector eorum erat unus, summam inter eos habens auctoritatem, quo mortuo si quis in reliquis excellit dignitate, succedit. Privilegia eorum erant: tributa cum reliquis non solvere, militiae vacationem, rerumque omnium habent immunitatem; quibus excitati praemiis, sua sponte multi in disciplinam convenerunt, et a parentibus mittebantur, vicenosque annos in disciplina permanserunt, neque doctrinam suam literis comprehenderunt. *b*) *Druidarum* Doctrinam dirae immanitatis apud Gallos *Augustus* interdixit penitusque abolevit. *c*) *Musicam* vero et *Poësim* primus in Galliam intulisse creditur *Bardus Poëtae* organis veluti lyra cantabant, qui tanti apud eos fuerunt, ut extructa acie exercitus eductis ensibus, mox conjectis jaculis propinquant non solum amici sed et hostes, et a pugna conquiescunt; hinc exemplum capere possumus, quod apud agrestiores etiam Barbaros

---

a) Diodor. Sicul. L. 6. *b*) Plinius L. 16. Hist. Naturalis. *c*) Strabo L. 4. Geographiae.

ros, *ira cessit sapientiae*, *et Mars reverebatur Musas.* Paulutim Italorum et Graecorum disciplinae venerunt in Galliam, quas ipsi pro sua industria mirifice elaborarunt. *a*) Veterum Gallorum Theologiam, Doctrinam et mores accuratissime omnium describit *Caesar b*) dicens: Natio Gallorum admodum dedita religionibus, ob quam causam, qui sunt affecti gravibus morbis, aut periculis, pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vovent. Veram Christianam Doctrinam ipsi Apostoli intulerunt *Paulus*, *Philippus*, imo et *Lucas* Evangelista. Ipsum autem regnum ad fidem Christi conversum est an. Ch. 499. sub *Clodovaeo. c*) Quod *Jurisprudentia* jam apud veteres Gallos viguerit *Caesar* sic refert: *d*) Quae civitates commodius suam rempublicam administrare existimantur, habent legibus sancitum; si quis quid de Rep. a finibus rumore aut fama acceperit, ad Magistratum deferat, neque cum alio communicet. Cum vero Gallia in provinciam fuisset redacta, omnia statim jura et leges commutatas esse dicit *Strabo. e*) De publicis scholis autem *Cornelius Tacitus* haec reliquit: veteres Gallos *Augustoduni*, quae nobilissima urbs Heduorum erat, studiis liberalibus operam dedisse. Sed hanc *Ratavicae* cujusdam

---

a) Caesar. L. 7. Commentariorum. *b*) Caesar L. 6. comment. *c*) Socrates. L. 7. c. 30. Ado Viennensis in Chronicis. Gregorius Turonensis. L. 2. Paul. Aemilian. L. 1. Hist. *d*) Caesar. L. 6. de bell. Gallico. *e*) L. 4. Geograph.

dam rebellionis latrocinio eversam, *Constantius* Imperator *Constantini* M. pater instauravit, tantamque scholam, quae non modo auditoriorum ruina, sed et morte Rectoris atque Magistrorum conciderat, attollere laboravit. *Menianae* etiam scholae condam pulcherrimo opere, et studiorum frequentia celebres et illustres erant, in quibus Doctrinae et Eloquentiae studia floruerunt, uti etiam *Massiliae* et *Treviri. Constantii* Imp. etiam incredibilis fuit erga juventutem Galliarum solicitudo; qui Magistros de reipublicae juribus, in sexcentis millibus numum accipere jussit. *Gratianus* Imperator autem ad *Antonium* Galliae Praefectum rescripsit: ut in singulis Galliae metropolibus excitarentur alerenturque studia Literarum, egregiique earum Professores praeficerentur, quibus annonae liberaliter praeberentur. *a*) Tandem *Carolus* M. Gallorum jus in ordinem redigi et Legum libros conscribi jussit; nam vetus Jus Romanorum antea per Longobardos et Francos obliteratum erat. Deinde ad aliarum quoque artium studia permovenda accessit, earumque Professores egregie coluit, magnis muneribus affecit, praesertim sacrarum literarum doctores; *b*) tanto igitur Literarum amore accensus *Carolus M. Alcuini* praeceptoris sui Consilio *Parisiensem Academiam*

---

a) De verbo ad verbum referuntur in Codice Theodosiano. *b*) Eginhardus. Urspergensis. Vincentius Nauclerus, et alii.

miam an. 791. erexit, quo ex Romana Academia nobilissimos scriptores evocavit, *a*) hinc licet ante *Carolum M.* Parisiis artes et scientiae corruptae floruisse videantur, is tamen veram Academiae formam introducens, author fuit ut pura Philosophia ad propagandam Religionem Christianam traderetur, ideo hic semper magnus studiosorum concursus erat, veterumque Atheniensium et Romanorum gloriam haec Academia superatura videbatur. Hic, *Robertus Ludovici* regis frater an. 1253. amplissimum illud *Collegium Sorbonicum* instituit, unde tot praestantes Theologi, et orbis clarissima lumina prodiverunt. *Joanna* Regina. a. 1286. Collegium *Navarrae* erexit, quod a sequentibus Regibus varia privilegia accepit. *Franciscus Valesius* Rex ad constituendam Rempublicam conversus, Doctissimos Hebraicarum et Graecarum literarum, Mathematicarumque artium Professores honestis stipendiis instituit; unde eum *Patrem Literarum* appellarunt: scholarum Inspectionem *Rectoribus* commiserunt Reges; de quorum officiis *Innocentius* Pontifex decrevit: ut Rector cum Procuratoribus ter in hebdomada, (sub poena excommunicationis) uti die Lunae, Mercurii, et Veneris, hora secunda pomeridiana, cum aliis ad Academiae salutem pertinentibus de rebus Academiae, studiosorumque moribus inquirat. Quam legem sanctam utinam et hodie superiores schola-

a) Vincentius Histor. L. 24.

larum Directores in conscientia observarent, aut observare stringerentur, vehementer optandum foret! Erant praeterea in Gallia aliae etiam Academiae erectae sequentes: uti *Andegavensis* ubi celeberrimus *Franciscus Balduinus* magnis praemiis docuit. *Avenionensis* florentissima dum Pontifices ibi habitarent, ubi *Paulus Castrensis* et *Alciatus* magno splendore docuerunt. *Aurelianensis* a *Philippo Pulchro* Rege erecta 1312. olim a Jurisprudentiae studio celeberrima, ubi *Adolphus Eicholtz* floruit. *Bituricensis* ubi *Alciatus* et *Rebuffus* insignes Jurisconsulti docuerunt. *Burdegalensis* in Aquitania. *Cadonensis* in Normandia, quam *Henricus* V. Angliae rex 1418. fundavit. *Dolanae* in Burgundia 1484. floruit. *Lugdunensis* jam an. 830. celebris a Doctissimis Professoribus, uti *Nicolao Laoniceno*, *Joanne Gersone*, *Jodoco Badio*, *Petro Toleto*, *et Bartholomaeo Argenterio* Medicis. — *Montispessulana*. 1196. exstructa, olim Jurisprudentiae, tardius Medicinae studiis florentissima. *Nimecensis* seu *Nantes* in Gallia Narbonensi. *Pictaviensis* quae alium post Parisiensium obtinuit locum. *Rhenensis* in Campania a *Carolo Guisio* Archi-Episcopo et duce loci instituta. *Tolosana* post Parisiensem mox instituta, a petulantiis studiosorum celebris. *Canturcensis Massiliensis* jam temporibus *Julii Caesaris* florens a Graecis orta, *Gratianopolitana*, *Valentina*, ex quibus omnibus innumeri docti viri Theologi, Jurisconsulti, Medici, Philosophi, Historici, aliique

exi-

exiverunt, quos nunc enumerare lecturis taedium conciliarem. Dolendum quod florentissimae Galliae Academiae superioribus annis tam misere fuerint per male contentos turbatae adeo: ut in illis non modo religio, sed etiam sapientiae studia, publicaque honestas fere interciderit. Nunc tamen sub sapientissimo *Caroli X.* regimine tantisper respirare et reflorescere incipiunt. Nobilitas enim Gallica maxima diligentia Literarum, omnemque artium studia persequitur. *Bibliothecae* etiam variae existunt imprimis Parisiis, *Regiae Majestatis* et *S. Victoris* ut alias praeteream optimis et rarissimis editis et manuscriptis libris refertae.

CAPUT IV.

Exhibens Historiam Britannorum seu Anglorum, inde ab eorum origine, usque in praesens tempus.

§. 1. *Statistico Geographica notio Britanniae.* Britannia omnes illas insulas quae inter Hispaniam et Germaniam ac Galliae vicinitatem sunt, suo nomine complectitur. *Britannia* nominabatur

batur ab incolis, quos Graeci *Brith* seu *Briton* id est *Picti*, seu *colorati*; *Tania* vero regionem significat, hinc *Britanniam* dixerunt seu *regionem coloratorum.* Limites ejus prout Romanis innotuerunt sunt in orientem terrae Germaniae, in occidentem Hispaniae, in meridiem Galliae, ad Septemtrionem nullae sunt terrae, sed vasta maria. Regio sat plana, ingens et foecunda, lacus et praegrandia flumina habet; qui autem mortales initio coluerint, indigenae vel advecti, incompertum est; si ex corporum habitu argumentum sumamus, tunc a variis gentibus uti Germanis, Hispanis, Iberis et Gallis originem ducere videbuntur, quibus in Britanniam successive via patuit. *a*) Hominum infinita est multitudo, et celeberrima aedificia, Gallicis similia; pecorum magnus numerus, imprimis generosissimi equi, utebantur aereo, aut ferreo numo: crescit et plumbum album, undique vastissimo et apertissimo Oceano circumfunditur. Inter omnes insulas, duae alias magnitudine praecellunt, *Albion* sub qua Anglia et Scotia continentur; et *Hibernia*, olim *Albion* sola Britanniae nomen tenuit, quam vario modo diviserunt, uti Britanniam *magnam* et *parvam* postea *superiorem* et *inferiorem.* Dein in tres partes: uti in *Maximam Caesariensem*, *Britanniam primam*, et *Britanniam secundam.* Sub dominatu autem Ro-

---

a) Tacitus in Agric. c. 10. Mela. L. 3. c. 6. Plinius L. 4. c. 16 Caesar. L. 5. de bell. Gall.

Romanorum in quinque partes, nempe praeter tres priores in *Valentiam* et *Flaviam Caesariensem.* Postea in duo regna, uti *Angliam* et *Scotiam*, quae duo regna dum sub *Jacobo I.* unita essent, tota insula *Magna Britannia* appellatur, hodie etiam *Hibernia* huc pertinet. Igitur Britannia olim in plures provincias et respublicas erat discerpta; prout in plerisque orbis regionibus notatur. De his tribus principalibus Britanniae partibus singillatim brevibus haec sunt notanda:

I. *Hibernia* est una Britanniae insula, olim *Ivernia a*) dicta, tractu littorum oblonga, ab ortu Britanniam habet, a qua mari Hibernico tantum unius diei navigatione distat; ab occidente vastum oceanum; a Septemtrione Islandiam, et ab austro Hispaniam. Hic aër saluberrimus, coelum tamen ad maturanda semina iniquum, quod enim ver gignit, aestas nutrit, vix in messe pluvialis aquositas colligi permittit. Verum adeo luxuriosa herbis non laetis modo sed etiam dulcibus, ut si exigua diei parte pecora se impleant, et nisi pabulo prohibeantur diutius pasta dissiliant. Pecorum multitudo imprimis ovium et equorum, incolarum opes faciunt: nullum hic reptile, nullus serpens habitat; apum tanta multitudo, ut in arborum etiam truncis reperiantur: ferarum quoque omnia

a) Pompon. Mela. L. 3. c. 6. Strabo. L. 4. Plin. L. 4. c. 16.

omnia genera. Regio haec condam multos habuit regulos, hodie sub Anglorum regimine per *Dominum deputatum* administratur; venit in dominium Anglorum circa a. 1175. quo *Rodericus* Connaciae rex, se regem universae Hiberniae nominavit, ex cujus factione ortum dein est, ut alii reguli sponte, alii jure armorum se *Henrico II.* Anglorum Regi subjecerint; a quo tempore usque *Henricum VIII. Domini Hiberniae* vocabantur, qui primus a proceribus Rex Hiberniae fuit salutatus, quoniam multis nomen *Domini* invisum videretur. Hibernia in quinque provincias dividitur, uti in *Lageniam*, *Connaciam*, *Ultoniam*, *Momoniam* et *Mediam*, quae provinciae alia territoria minora in se complectuntur, incolebantque olim varii populi uti: *Voluntii*, *Darni*, *Robogdii*, *Erni etc.* Praecipuae urbes sunt: *Dublinia* metropolis et regia sedes; *Watterfordia*, *Limmiricum*, *Corcagia*, *Armacum* et alia. Flumina vero sunt *Avenlifius*, *Boandns*, *Banna*, *Linnus*, *Moadus*. Archi-Episcopatus quatuor: *Dublinensis* simul Primas Hiberniae, *Armachiensis*, *Cassiliensis* et *Toamensis*, maximas vitae commoditates in Mercatura habent. Hodie Hiberniae incolae omnes Religionem Romano Catholicam profitentur, ob cujus religionis odium ab Anglis quibus subsunt, omnibus juribus Civitatis privati, miseram sortem habent in proprio etiam regno, nam ad nulla munia publica admittuntur majora.

II. *Scotia* olim *Albania* vel *Britannia parva* dicta, eam undique ambiunt Oceanus et Ma-

re Germanicum. Terra magna ex parte sulphurea est et viscosa, habet aurum, argentum etiam vivum, ferrum, plumbum et cuprum magna copia; pascua optima, omnisque generis armenta. Scotorum res dum ad Pictos in Britanniam venissent, ab Anglis impeditae non statim adoleverunt; sed tunc, dum Picti et Angli Danorum incursionibus et intestinis malis fatigati fuissent, Scoti superiores Britanniae Septemtrionalem partem *Scotiam* dixerunt: qui erant strenui milites, frigoris et aestus patientissimi. Metropolis urbs est *Edinburgum* Regia sedes. *Bervicum*, *Dumbarum*, *Dalnethum*, *Hadinam*, *Letham*, *Lemnuchum*. etc: plurimi sunt montes, maximus est *Grampius*, qui Scotiam intersecat; multi etiam lacus, paludes et fluvii. Dividitur populus in tres ordines, nempe *Ecclesiasticum*, *Nobilitatem*, *et Plebem.* In statu Ecclesiastico sunt duo Archi-Episcopi, uti *S. Andreae* qui est Primas Scotiae, cui subsunt octo Episcopatus uti Dulkendensis, Aberdoniensis, Moraviensis, Dumblanensis, Brechinensis, Rossensis, Cathanensis et Orchadensis. Archi-Episcopus vero *Glasgoënsis* tres sub se habet, nempe Candidaecasensem, Lismoriensem et Sodorensem. In *Ordine Nobilitatis* primum locum habuit Rex, ejusque filii, nam Major *Princeps Scotiae* vocabatur, Rex debuit occasione coronationis sancte promittere, se leges, ritus, veteraque Majorum instituta observaturum: dein sequntur Duces, Comites et Nobiles, qui *MiLords* vocabantur, hos excipiunt *Equites Aurati* et

Barones qui *Lords* dicuntur; dein sequuntur qui nullo titulo sunt ornati sed a nobilibus parentibus sunt nati, qui *Gentlemen* appellantur, quales sunt Comitum et aliorum dictorum fratres aut filii natu minores, qui nullam haereditatis partem obtinent; quoniam ea jure Scotico conservandarum familiarum gratia, ad primogenitos pertinet. *Plebei* autem sunt cives primarii divites, qui magistratu in urbibus funguntur, item mercatores et opifices, qui a vectigalibus aliisque oneribus sunt immunes; qui ex singulis civitatibus tres vel quatuor deputatos mittere solebant ad ordinum consultationem. Leges municipales latine scriptas continet liber, qui titulum habet *Regia Majestas*: aliis legum libris Scotica lingva scribuntur Comitiorum acta. Magistratus sunt diversi, summus est *Regni Procurator* qui in defectu Regis provincias gubernabat. Est Senatus Edinburgi Perpetuus, cujus Praeses est Ecclesiasticus. Qui capitis judicio praeest vocatur *Magnus Justitiarius;* qui rei nauticae *Admiralius;* qui castris ordinandis *Marescallus*, qui vero aliis delictis vindicandis praeest *Connestabilis* vocatur; sunt in provinciis etiam Vice-Comites, quorum auctoritas in rebus civilibas maxima est. Civitates habent suos Praefectos et Magistratus, qui cives in officio continent, et privilegia tuentur; hinc Scotorum respublica ob legum Sanctitatem et Magistratuum auctoritatem florens, summam meretur laudem. Sunt hic plures Ducatus, Comitatus, et Vice-Co-

mites

mitatus, qui variis privilegiis ornati sunt, uti et Universitates duae, nempe *S. Andreae* et *Aberdoniensis*, quibus additur *Glasgoensis* et *Edinburgensis*. Generatim Scotia alia est Meridionalis, alia Semptemtrionalis.

III. *Anglia* Insulae Albionis pars Meridionalis a Latinis *Anglia* dicitur, quod nomen an ab *Angria* regione, vel ab *Engloen* oppido, vel ab *Engeland* id est Anglorum terra, ab *Egberto* Saxonum occidentalium rege primum ostensa fuit, otiosa est disputatio. Ceterum Angli et Saxones qui Britanniam occuparunt erant Germaniae populi; hujus regionis pars orientalis *Engeland* seu *Anglia*; pars vero occidentalis *Vallia* ab Anglis nominatur; cujus fines sunt ad semptemtrionem fluvius *Tueda:* ad meridiem Gallia et Oceanus Britannicus; ad occasum Hibernia; ad ortum Oceanus Germanicus: hic coelum est crassum, in quo facile nubes et venti generantur, terra foecunda non tantum optimum frumentum, sed etiam omnis generis materiam producit praeter abietem; Rosmarino plane ad sepes utuntur; habet exigua copia etiam aurum, argentum, cuprum et ferrum; Stannum vero optimum in abundantia effoditur. Oves vellerum tenuitate nobiles, omni animalium genere abundat, demtis asinis, mulis, Camelis et Elephantis: Molossi praestantissimi. In Britannia Romani fere 500. annos imperarunt a *Julio Caesare* ad *Theodosium* Juniorem, cujus aetate Romani milites ad Galliam defendendam evocati, mox Picti et

Scoti eam terram invaserunt, quorum impetum Britanni ulterius sustinere non valentes, bellicosos Saxones ex Germania evocarunt, qui sive terrae fertilitate capti, sive Pictorum amicitia permoti, foedus cum Pictis contra Britannos ineuntes, brevi profligatis hospitibus, terram eorum sibi appropriarunt; et *Heptarchiam* sive semptem regna constituerunt, uti Regnum *Cantianum*, *Sussexiae*, *Saxonum occidentalium*, *Essexiae*, *Northumbriae*, et *Merciae* sive Anglorum orientalium; quae regna distinctis principibus parebant usque ad *Egbertum* Saxonum occidentalium regem, qui alios in potestatem suam redigens, non Britanniae sed Angliae rex vocari voluit. Tota Anglia in 39. Comitatus dividitur, Comitatus vero in Centurias et Decurias; in his Comitatibus difficilioribus temporibus nequid respublica detrimenti capiat, *Praefectus Regius* quem *Lieutinant* vocant, constituitur; singulis vero annis ex incolis nobilis quidam praeficitur, quem *Vicecomitem* seu *Schriffe* id est Praepositum comitatus vocant, cujus officium est publicas pecunias suae provinciae conquirere, mulctas colligere et aerario inferre; Judicibus praesto adesse, eorum mandata exequi, de facto cognoscere, et ad Judices referre; (nam apud Anglos Judices juris tantum et non facti sunt Judices,) damnatos ad supplicium ducere et de minoribus causis cognoscere; de majoribus enim cognoscunt *Justitiarii*, quos *Itinerantes* et *Justitiarios ad Assisas* vocant, qui singulis annis comitatus bis circum-

eunt, causas cognoscunt et de incarceratis sententiam de lege dicunt. Anglia complures habet urbes, inter quas excellunt: *Londinum*, *Eboracum*, *Cantuaria*, *Bristolia*, *Glocestria*, *Salopia*, *Vigornia*, *Bathonia*, *Cantabrigia*, *Oxonium*, *Nordvicus*, *Zandvicus. etc.* Fluvii praecipui: *Tamesis*, *Humbrus*, *Trenta*, *Ousa* et *Sabrina.* Portus sunt hi: *Davernus*, *Muntsbay. Volemuth*, *Torbay*, *Southantonensis. etc.* Angliae reges olim supremum habebant imperium, nec investituram ab alio quovis acceperunt; cujus subditi cives alii erant Ecclesiastici alii laici, et hi vel nobiles vel plebeji dicebantur: Nobiles alii erant *Majores* uti Duces, Marchiones, Comites, Barones, seu *Lord* dicti, qui ex his alii hoc titulo jure haereditario gaudent; vel virtutis gratia a Rege exornantur. *Principes* Regum filii vocantur, quamvis hoc titulo olim plures ornati erant. *Successor throni* vocatur *Princeps Valliae.* — Nobiles *minores* sunt Equites aurati, Armigeri, et Generosi qui vulgo *Gentlemen* vocantur. Cives sive *Burgesses* in suis Civitatibus publicis funguntur muneribus, et in Parlamentis locum habent. *Ingenui* sunt Legales homines. Opifices sunt qui mercede operam locant. Duo sunt Archiepiscopatus uti *Cantuariensis* qui et Primas est, et *Eboracensis* quibus subsunt 25. Episcopi. Tribunalia sunt triplicia majora; uti Ecclesiastica, Temporalia, et unum Mixtum quod *Parlàmentum* vocant: et hoc repraesentat Angliae corpus. Temporalia judicia sunt dupplicia:

Juris videlicet et *Aequi*. Scholas complures numerat, quae Viros doctos et omnium Scientiarum peritissimos producunt; Angli enim non infelici ingenio sunt praediti, ab Italis fere nihil sive corporum habitu, sive moribus discrepant: Victus potissimum in carne consistit, Cereviseam sapidam conficiunt; gratissimum tamen potum *Theam Punts* habent. Vestitu fere Gallico utuntur. In Anglia sunt celeberrimae Fabricae panni et aliarum rerum, quibus et diversis manufacturis commercium utilissimum cum universo orbe exercent; utque merces distrahere, et occupationes civibus procurare valeant; fere cum variis gentibus continuum bellum gerere debent, aut alias gentes ad bellandum permovent, ut in turbidis gentium circumstantiis suas merces exponant; aut per commutationem rerum necessariarum, suas commoditates, luxum et utilitates expleant. Efferuntur autem ex Insula aurum, argentum, ferrum, pelles, mancipia, Canes Venatici, Equi; et dum diversi generis mercimonia, uti eburnea vasa, forfices, monilia, vel ex electro aut vitro exportant vel important, gravia vectigalia tolerant. Imo *Bochart a*) Phoenices Stannum et plumbum e Britannia avexisse demonstrat.

§. 2. *Status Religionis et Consvetudinis in Britannia.* Vetustissimos Britannos cum Gallis cummunes Deos et communia sacra habuisse *Cae-*

---

a) Bochart in Canaan. L. 1. c. 39.

Caesar sic docet: *a*) Druidum disciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata esse existimatur. *Strabo b*) autem affirmat: in insula Britanniae proxima *Cereri* et *Proserpinae* fieri Sacrificia Samothracibus similia, cujus Antistites in perpetua virginitate novem esse tradunt et *Barrigenas* vocant; putabantque eos singulari ingenio fuisse praeditos; maria ac ventos concitare carminibus, seque in quae velint animalia vertere, sanare insanabilia, et futura scire. *c*) Ceterum post bellum Trojanum probabilius etiam Graecorum Philosophia eo pervenire potuit. Cum vero *Julius Caesar* a. U. C. 593. seu ante natum Christum 60. anno, Romano imperio Britanniam subjecisset, absque dubio vetus Romanorum Theologia, Ritus et Cerimoniae simul erant introductae; praesertim quum sub *Claudio* Imperatore rebellassent, denuo jussa Romanorum facere compellerentur. *d*) Verum quum Doctrina a superstitionibus per *Jesum Christum* fuit repurgata, hic quoque ab ipsis Apostolis promulgata est; nam ut *Nicephorus* testatur *e*) *Simon Zelotes* Evangelii doctrinam etiam ad occidentalem oceanum, insulasque Britannicas perferebat. Anglicarum rerum etiam scriptores tradunt: *f*) quod

---

a) Julius Caesar. L. 6. Comment. *b*) Strabo. L. 4. *c*) Pompon. Mela. L. 3. c. 6. *d*) Beda. L. 1. c. 2. et 3. Hist. Anglorum. *e*) Nicephorus Calixtus. L. 1. Hist. Eccles. c. 40. *f*) Beda. L. 1. Hist. Anglorum. c. 4.

quod *Philippus* Apostolus duodecim discipulos in Britanniam Evangelii docendi gratia anno Domini 36. miserit, quorum Praefectus fuit *Joseph* ab *Aromathia* nobilis ille Decurio qui *Christum* a *Pilato* crucifixum Hierosolymis sepelivit. Porro *Venerabilis Beda* ait: *Marcus Antonius Verus anno domini* 156. *regnum cum Aurelio Commodo fratre suscepit, quorum temporibus cum Eleutherius vir sanctus Pontificatui Romanae Ecclesiae praeesset, misit ad eum Lucius Britannorum rex epistolam, obsecrans ut per ejus mandatum Christianus efficeretur; et mox effectum piae postulationis consecutus est; susceptamque fidem Brittanni usque in tempora Diocletiani Principis inviolatam integramque, quieta pace servabant:* ubi agente *Lucio* Rege plures sunt baptisati, et Episcopatus fundati. *Diocletiani* autem imperio, gravissima Christianorum persecutio instituta est, plurimique in Britannia trucidati fuerunt, ac Christiana fides maxima ex parte oppressa est, donec *Gregorius* nomine et re *Magnus* eam resuscitasset; ut patet ex ejusdem *Gregorii* Pontificis Literis ad *Theodericum* et *Theodebertum* Francorum regibus datis. *a*) Idem *Gregorius* summus Ecclesiae Pontifex prope annum 600. a *Christi* natalibus sub Rege *Ethelberto* et ejus uxore Christianissima *Berta* missis ad id negotium *Augustino* et *Mileto* Monachis religionis Christi-

a) Gregorius. Magn. L. 5. Epist. 58. 59.

Christianae dogmata conatu maximo Anglorum gentem edocendam, hortatu et praedicatione illustrandam curavit. *a*) In hac vero *Christi* Doctrina perstitit Britannia usque ad *Viclefii* tempora, qui alias Professor Sacrae Paginae fastu et scientia tumens, abundante suo sensu Ecclesiam *puriorem reddere* ut dicebat coepit: cujus tamen doctrina mox fuit damnata, et ipse regno pulsus. Vehementer ergo deplorandum est, quod florentissimum hocce regnum, Religionem Christianam dudum acceptam et magna pietate conservatam, successive per sic dictam reformationem amiserit. Certum quidem nullam gentem a Pontificibus Romanis ita fuisse oppressam, nam Angliae et Hiberniae regna a *Joanne* Rege erant resignata in manus Romani Pontificis cum jure proprietatis et clientelae an. 1213 unde Anglorum proceres commoti, regnum detulerunt *Ludovico Juniori Philippi Augusti* filio; neque de erant alii etiam Principes, qui Ecclesiae ac regni jura mascule tuebantur, impositumque annuum tributum simpliciter denegarunt; *b*) *Henricus* enim VIII. jugum sedis Romanae penitus excussit, *c*) viamque ad Reformationem munivit licet initio ipse

a) Didacus Cuverruvias in praefatione libri practicarum quaestionum. *b*) Math. Paris. p. 204. — 227. Knyghton. p. 2415. Joan. Trivetti Chron. ap. Acher. T. 3. p 183. du Mont. T. 1. P. 1. p. 138. *c*) Math. Paris. p. 685. Chron. Trivetti. p. 193.

se rex adversus *Lutherum* in favorem Pontificis Romani scribens titulum *Defensoris Fidei* obtinuit, mox tamen ab Ecclesia Romana deficiens, *se supremum Caput Ecclesiae Anglicanae* salutari jussit, eo quod a Pontifice ob divortium excommunicatus esset *a*) *Catharinam* dimittendo, ac *Annam Boleniam* matrimonio sibi jungendo, et ex ea natam *Elisabetham* haeredem regni nominando, 1534. Hinc novum sibi systema Religionis fabricavit non quidem ad evertenda fidei dogmata, sed unice ut abolita Pontificis potestate, supremum sibi in sacris imperium vindicaret; quare ordinum regni decreto, auctoritatem Pontificiam per regnum abrogavit, eique tributum annuum denegavit, Monachos ejecit, et eorum coenobia in lupanaria convertit; reluctantes sibi proceres et Episcopos, uti *Thomam Morum* Regni Cancellarium, *Joannem Fischerum* Roffensem Episcopum 1535. capitis supplicio affecit. Interim pro conservanda Ecclesiae Anglicanae integritate *Henrico* Regi mortuo successit *Maria* post impuberem *Eduardum* fratrem, quae *Philippo* Hispaniarum Principi nupta, Romana Sacra, pontificisque auctoritatem restituit. Verum ea mortua facile *Elisabetha* ejus successor perfecit, ut prae-

a) Thuan. L. 1. p. 23. Sarpius. p. 77. seq. Burnet. L. 2. p. 189. seq. Sleidan. L. 9. p. 99. seq. du Mont. T. 4. P. 2. p. 138. seq. Hume. T. 3. p. 203. — 244. Chytraeus. p. 353. Rapin Thoyras. T. 5. p. 326. seq.

praetensa Reformatio amplius in Anglia invalesceret, *a*) penitusque Romana Sacra aboleret: hinc plurimi evaserunt qui in religionis puritate perseverare viderique volebant; receptam in Ecclesia Anglicana disciplinam Liturgicam et Episcoporum auctoritatem in quaestionem vocabant, seque ad Genevensis Ecclesiae praesciptum conformare cupiebant; a quibus *Puritanorum* nomen ortum est, qui sectatores in Scotia et Anglia hodiedum obtinent. Hinc juste, verum stabilitae reformationis initium in Anglia a temporibus *Elisabethae* deduci potest. Cujus successor *Jacobus* I. *Stuart* Scotiae rex amplius jam in ipso ingressu nocuit Ecclesiae Romanae, qui publicum decretum de Ecclesiasticis Romanae Ecclesiae tota Britannia pellendis fecit: neque prius *Londinum* cum pompa ingredi voluit, quam edictum executioni daretur: quo ex fundamento *Londini* Synodus Nationalis celebrata est, in qua post receptam Eclesiae Ramanae reformatam Sectam, asserta est Regis suprema auctoritas in Ecclesiam Anglicanam; conventus Catholicorum inhibiti, eorumque Jura civitatis annihilata in hodiernum usque diem; modus Liturgiae publicae et Litaniae usus praescriptus; quotannis caenae trinae perceptio praescripta addita genuum flexione; superpelliceorum usus in Ministris confirmatur; cru-

a) Chytraeus. p. 514. Thuan. L. 21. p. 670. Burnet. T. 2. L. 3. p. 638. seq. Sarpius. L. 5. p. 479. Hume. T. 4. p. 1. seq. Rapin. T. 6. p. 150. — 158.

crucis Cerimonia in baptismate certis cautionibus retinetur; jejunia quatuor temporum confirmantur; consvetudo ministros ordinandi, parvulos catechisandi et confirmandi retinetur; bannorumque promulgatio ante nuptias praescribitur: ob quas *Jacobi* Regis constitutiones atrox conspiratio in caput ejus et familiae conflata est, (quae *pulveraria* dicitur eo, quod quidam Catholici inferiorem partem *aedis Westmonasteriensis*, ubi comitia regni celebrari solebant, pulvere nitrato complentes, Regem cum utroque Parlamento e medio tollere statuerint,) sed conjuratione mature detecta, mox Rex Jesuitas et Monachos e toto regno proscripsit. *a*) a. 1605. Post hanc repentinam Reipublicae et Ecclesiae convulsionem, variae dissensiones, imo bella civilia erant enata: nam post haec nulla orbis Christiani pars ad plures aut absurdiores in religione opiniones delapsa est ac Anglia; praecipuae tamen sectae sunt Episcopalium, Presbyterianorum, Puritanorum, et Independentium. *b*) Hic hodie Catholici nullo jure Publico gaudent ex

---

a) Thuanus. L. 135. Draxus in Tuba extrema. *b*) De Ecclesia Anglicana vide Richardi Smithei Florum Historiae Eccl. Gentis Anglorum Libros septem. Parisiis, 1654. fol. Richardum Brougton. Londini 1651. Thomam Fullerum. Londini 1655. Hieronymum Harpsfeldum, Duaci 1722. Jacobum Usserium de antiquitatibus. Dublini. 1639. Honorium Reggium. Georgium Hornium. Fran. Godvinum. Henricum Benthemium. Thomam Dempsterum. Joannem Spootsvood. Wilhelmus Loydius. etc.

ex odio religionis, quod ab omni justo humanitatis sensu, in tam politico et culto gentium seculo vere abludit.

§. 3. *Status Politicus et Forma Regiminis Britanniae.* Nulla fere gens tantis vicissitudinibus erat exposita atque Britannia, unde Status ejus complures constituit Epochas, quales nos commoditatis gratia IV. Statuimus, I. exhibebit Statum Britanniae ante et sub Romanis. II. sub Saxonibus. III. sub Normannis. IV. sub utriusque Insulae Monarchis. Igitur I. in antiquissimo statu considerata Britannia, more aliarum barbararum gentium fuit in varias minores Respublicas divisa; singularibus regulis subordinata, primum sub *Julio Caesare* Romanorum potentiam et vires experta, et post felicia aliquot proelia *Caesare a*) Romam reverso, iterum Juri suo reddita est, usque ad Dominatum *Claudii* Imperatoris, qui victricibus armis majorem Insulae partem Romano Imperio subjecit: *b*) cujus dominatu quadringentos dein annos feliciter moderabantur, donec Romani milites ex Britannia revocati, imperii sui limites tueri debuissent, eo autem tempore quo Britanni Romanis paruerunt, tota regio ad accuratiorem gubernationem divisa fuit vario modo, demum in tres regiones, uti *Britanniam primam*

---

a) Caesar L. 4. et 5. de bell Gall. Tacitus in Vita Agricolae c. 13. *b*) Britannica expeditio. a. Ch. 43. Svetonius c. 17. Dio Cassius. L. 60.

mam, *secundam*, et *Caesariensem*, contra frequentes vero Scotorum et Pictorum incursiones per transversam insulam murus ductus. Ceterum praesidio Romanorum nudata Britannia mox a Scotis et Pictis lacerari coepit; quorum viribus resistendo impares Britanni; *Anglosaxones* a bellicis virtutibus spectatos auxilii gratia in Britanniam evocarunt; qui brevi expulsis inde Scotis, fertilitate et amoenitate terrae capti, ipsis Britannis quibus auxilio venerant jugum imponentes, pro feliciori regimine ibidem *Heptarchiam* seu septem regna constituerunt, quorum primum fuit Regnum *Cantium*, dein *Sussexia*, *Eastanglia*, *Westsexia*, *Northumbria*, *Eastsexia*, et *Mercia.* Quae regna successive in Conventus seu Comitatus *Shyres* dividebantur: quales sub *Ethelredo* Rege a. Ch. 1016. numerabantur tantum 32. dein sub *Gulielmo I.* 36. postea tres additi, et hodie etiam 39. Comitatus habet: *a*) quibus accedunt 13. in Vallia, quorum *Eduardi I.* temporibus sex erant; reliquos Parlamentaria auctoritate constituit *Henricus III.* Ceterum dicta semptem regna procedente tempore mutua bella gerebant, donec omnia in potestatem *Egberti* Saxonum occidentalium Regis venirent, quae coadunata illa regna deinceps *Angliae* nomine veniunt, nam *Egbertus* una cum posteris non jam Britan-

---

a) Quos Comitatus Angliae cum nonnullis insulis, *Mercator* Sex Tabulis expressos exhibet

tanniae sed *Angliae Rex* fuit vocatus. Atque talis erat II. Status Britanniae sub Saxonibus, dum *Dani* primum Angliam circa 1000. annum sub *Svenone Barbae Furcatae*, dein sub *Canuto* M. invaserunt, et totam Britanniam imperio Danorum subjecerunt; ultimus regum Daniae, quibus Angli paruerunt fuit *Harde Canutus;* post cujus obitum *Eduardus* Confessor ex antiqua Saxonicorum regum stirpe ortus Angliam obtinuit, successorem relinquens *Haraldum*; qui nono regni mense a *Wilhelmo Conquestore* Normanniae duce pugna victus occidebatur, in quo extincta stirpe Saxonica, Regnum Angliae ad *Normannicam Familiam* transivit: a quo tempore incipit III. *Status Britanniae sub Normannis*, Epocham constituit annorum 537. inde a *Wilhelmi Conquestoris* initiis, an. 1066. usque ad obitum Reginae *Elisabethae* 1603. quo temporis spatio Reges Normannici, in quinque classes, prout ex totidem Domibus eligebantur, optime distingvuntur; quarum I. Reges *Familiae Normannicae.* II. Reges *Domus Andegavensis. III.* Reges *Domus Lancanstriensis. IV.* Reges *Domus Eboracensis. V.* Reges *Domus Tudorensis* complectitur. Ex quibus quod ad formam Regiminis attinet: primi Reges e gente Normannorum satis absoluta regnarunt potestate, sed procedente tempore adeo labefactata est potentia Regia, ut tempore *Joannis* regis Anglia in manu Romani Pontificis esset Fiduciaria clientela. Hoc in tertio statu originem

sum-

sumsit *Parlamentum*, cujus hodie maxima est in rebus publicis auctoritas: quam formam induxisse passim *Henricum I.* asserunt, qui prima vice ad Comitia etiam cives convocavit, quoniam ad ejus aetatem nonnisi Episcopi et nobiles adhiberentur; unde origo est divisionis Parlamenti in *Superius* et *Inferius*; sub idem fere tempus, hisque ex causis *primo*: quod amor libertatis ad ipsos plane cives penetraverit; *secundo* quia sicut Principes nobilium et civium juribus, ita etiam nobiles et Cives suorum Principum juribus detrahebant; ad quod malum abolendum et deinceps impediendum, duo Celebria Decreta sunt edita nempe *Charta Libertatum* et *Carta Magna*, in quibus constitutiones, jura et immunitates Gentis Anglicae continentur; illam *Henricus I.* edidit, a. 1155. qua restitutis privilegiis Nationem sibi devinxit; Hanc *Joannes I.* an. 1216. qua exortam seditionem composuit. — IV. *Status Britanniae figitur sub utriusque Insulae Monarchis*, qui incipit ab initio regiminis *Jacobi I. Stuarti*, et progreditur usque in praesens tempus; quo temporis spatio Monarchae, qui gentem Anglicam moderabantur distingvuntur in tres classes, prout ex totidem Familiis eligebantur; quarum I. Monarchas *Domus Stuartensis. II. Domus Arausionensis.* III. *Domus Hannoveranae* complectitur, sub quibus in Forma Regiminis notatu dignum est; quod Regia potestas circumscripta sit legibus adeo: ut Rex nec legem ferre,

re, nec tributum indicere possit absque consensu Parlamenti, quod *Parlamentum* constat ex tribus Angliae ordinibus, uti Episcopis, Nobilibus et Plebejis, hi enim totius Angliae corpus repraesentant. Indicitur Parlamentum pro arbitrio Regis, summamque et sanctam authoritatem habet in legibus ferendis, confirmandis, antiquandis, interpretandis, et in omnibus quae ad Reipublicae salutem spectant. Dividitur in *Domum Superiorem*, et *Inferiorem*, illius membra sunt Episcopi et primores Regni: hujus vero Civitatum et Comitatuum Delegati, utraque domus de Reipublicae negotiis deliberat, sed omnis deliberatio invigorosa est, donec Regis auctoritate confirmetur. Quoad Justitiae celebrationem, alia sunt tribunalia Ecclesiatica, alia temporalia, alia mixta id est Parlamentum. *Fora Temporalia* sunt dupplicia, *Juris* nempe et *Aequi* — *Fora Juris* sunt *Bancus Regius*, *Curia Camerae Stellatae; Bancus communis; Scaccarium; Curia Wardorum et Liberationum; Admiralii*, *Assisae*, et alia minora. *Bancus Regius* dicitur quod Rex ipse in eo praesideat, et coronae placita tractet, *Camera Stellata* seu Curia Consilii Regii, in qua tractantur Criminalia, perjuria, imposturae, dolus malus. etc. *Bancus Communis* quia communia placita inter subditos, ex jure Anglico, quod commune vocant, in hoc disceptantur. *Scaccarium* a tabula quadrangulari ad quam assidebant nomen accepit: in eo omnes causae audiuntur quae ad

Fi-

Fiscum pertinent. *Curia Wardorum* a pupillis, quorum causas tractat, nomen habet. *Curia Admiralii* res Maritimas tractat. *Assisae* in quolibet Comitatu bis per annum celebrantur, in quibus duo Assisarum Justitiarii deputati cum pacis justitiariis de criminalibus aeque ac civilibus cognoscunt. — *Fora aequitatis* sunt *Cancellaria*, *Curia Requestarum*, seu Concilia in limitibus Walliae, ubi causae pauperum et Regiorum famulorum audiuntur. Fora Ecclesiastica parecipua sunt *Synodus,* seu convocatio Cleri semper simul cum Parlamento habetur. Ceterum penes talia etiam tribunalia, nulla est regio turbarum feracior ac Britannia, quae tamen turbae non naturae vitiis, sed sectarum multitudini, et ocultis Principum Regiorum molitionibus tribuendae sunt. De infinitis sectis longum foret disserere; duae tamen sectae politicae sunt famosissimae, videlicet *Torys* et *Wighs*, quarum unaquaeque in alias sectas subdividitur; illa Regum Jura, haec ordinum jura continuo defendit: in utraque sunt *Moderatiores*, et *Rigidiores*, *Rigidiores Torys* absolutum Regum Dominium inducere conantur: *Moderatiores* quidem jura regia defendunt; iis tamen limites statuunt. *Rigidiores Wighs* omnem regiam potestatem abolendam dicunt, *Moderatiores* vero aequilibrium Reges inter et Ordines perpetuo servare student: et hi praecipuum Regni et Regis robur constituunt. In Anglia conspicuus ordo est *Periscelidis* sive S. *Georgii*, sed an ob devictos

victos Gallos, vel inter choreas ortum habuerit, in ambiguo est; institutus ab *Eduardo* 1350. vel juxta alios 1346. Alter ordo Equitum est a *Balneo* seu *trium Coronarum*, ab *Henrico IV.* sic dictus, ideo quod priusquam in hunc ordinem canditati reciperentur, balneo ablui debuerint; desiit quidem hic ordo, sed a *Georgio I.* denuo in vitam revocatus est. 1725. Exstincti autem sunt in Anglia et Scotia ordines hi, uti *S. Andreae*, *seu Cardici et Rutae.* Ordo *SS. Sepulchri Salvatoris*, coepit 1164. ab *Henrico II.* Item Ordo ab *Agno Dei*, a *Joanne Bono* Scotiae Rege institutus. *a*)

§. 4. *Status Belli et Memoria Principum virorum in Britannia.* In statu antiquissimo Britanni in gerendis bellis erant immanes, bella contrahentes et sese frequenter infestantes; maximae imperitandi cupidine, studioque ea prolatandi quae possidebant. Parebant regibus, successive per Principes factionibus et studiis distrahebantur, neque sexum in imperio discernebant; dimicabantque non equitatu modo et pedite, verum et bigis et curribus, quos *Covinos* vocabant, quorum falcatis axibus utebantur. *b*) *Julius Caesar* subacta maxima Galliarum parte, primus a continente in Britanniam copias tra-

l du-

a) De Politico Statu Angliae vide Thomam Smith. de republ. et administratione Anglorum. latine a Joanne Budeno reddita. Lugduni Batavorum 161 . Joachim. Hagemejerium. Camdenum. *b*) Pompon. Mela L. 3. c. 6. Tacit. c. 11.

duxit, eamque *c*) felicibus proeliis subjugavit, quo tamen inde reverso, Britannia denuo sui juris facta est: usque ad Imperium *Claudii* Imperatoris, qui majorem insulae partem Romanis subjecit; quo imperante *Voadica* generis regii femina duce, universi bellum sumserunt, *d*) a quo tempore variis turbis agitati inclarescere coeperunt, licet a *Claudio* in deditionem fuerint recepti, saepe tamen novis rebellionibus Romanos vexarunt, qui an. Ch. 50. *Camalodunum* (Colcestria) veteranorum coloniam eo adduxerunt, ut *Caractátum* ducem rebellionis captum Romam mitterent. Verum nunquam gravius damnum a Britannis acceperunt Romani, quam a. 61. nam gens nimiis exactionibus et avaritia *Senecae* afflicta, per *Voadicam* Icenorum regis viduam excitata, *Camalodunum* excidit, Romanorum vero et Sociorum ad 70. millia trucidavit; *a*) quam quidem cladem brevi *Svetonius Paullinus* vindicabat. *Voadicam* cruento proelio superans, sed tamen bellum denuo a. 78. recruduit, quo tempore *Julius Agricola* in Britanniam missus, difficili bello rebelles fregit, totamque insulam cum vicinis regionibus antea

---

a) Caesar. L. 4. et 5. de bell. Gall. Tacit. in vita Agricolae. c. 13. *b*) Tacit. in vita Agric. c. 15. 16. Svetonius in Claudio. c. 17. Dio Cassius L. 60. Tacit. L. 12. Annal. c. 32. seq. *c*) Tacit. L. 14. Annal. c. 31. et in vita Agricol. c. 15. 16. ubi Voadica vocatur Boudicea: apud Xiphilinum Bunduica. L. 62. Dio Cassius fuse. L. 60.

tea incognitis Romanae ditioni subjecit: *b*) sub quorum dominatu quievit Britannia fere quadringentos annos, donec ad an. 449. *Picti*, *Scoti*, et *Caledonii* Britanniam magnis hostilitatibus vastatam et direptam fere penitus oppressissent; quo tempore Britanni constituto sibi rege *Wortigere*, licet literas lachrymis ferme exaraverint, ab *Aetio* tamen opem obtinere non valentes, *c*) de externis auxiliis circumspicere coeperunt, et *Anglo-Saxones* ex Germania quorum spectata erat bellica virtus, ducibus *Hengisto* et *Horsa* fratribus in Britanniam evocarunt; qui pulsis inde Scotis, amoenitate et fertilitate terrae capti, gentibus quibus auxilio venerant jugum imponentes, soli sibi *Heptarchiam*, seu septem regna constituerunt, nempe *Cantianum*, *Sussexiae*, *Saxonum occidentalium*, *Saxonum orientalium* seu *Essexiae*, *Northumbriae*, *Angliae orientalis*, et *Merciae*, sed eorum regum qui his praefuerunt, ita perturbata est series, ut eos enumerare superfluum videatur, nam hi succedente tempore continua inter se bella gesserunt, donec omnia regna venirent in potestatem *Egberti* Saxonum occidentalium regis, qui deinceps Angliae Regnum appellavit.

l 2 I.

a) Tacit. in Vita Ágric. Soceri fuse a. cap. 18. item. Joan. Xiphil. ex Dione Cassio L. 66. *b*) Venerab. Beda. in Chron. Eccl. Anglor. L. 1. c. 12. Paul. Diacon. L. 14. Polyd. Hist. L. 3.

I. Egbertus primus totius Angliae rex a. Ch. 801. creatus, mox a Danis misere vexatus est, qui etiam Urbibus excisis, et templis eversis, magnam Northumbriae partem occuparunt: tandem classem eorum superans, ut toto regno barbaros Danos pellere possit, suis tributum *Dangieltum* imposuit, sic recuperatum regnum 836. filio reliquit. *a*) II. *Ethevolpho*, qui Normannos classe 350. navium appellentes, in Merciorum regno devictos fugavit; sed ejus filio III. *Ethelberto* circa 860. hujusque successori IV. *Ethelredo* nimium molesti erant Normanni, quos tamen hic novem cruentis proeliis feliciter profligavit; simili fortuna usus est etiam ejus frater, V. *Alfredus* an. 871. qui ab *Hadriano II.* Pontifice unctionem et coronam primus suscepit; ideo etiam *Pontificis filius adoptivus* dictus est; sub quo Dani tota fere insula potiti fuissent, nisi ex insidiis eos ingenti strage superavisset. VI. *Eduardus I.* ejus filius Danorum instinctu a fratre *Adelvaldo* rebelli oppugnatus, fratrem prostravit, et Northumbriam quam Dani hactenus tenebant revindicavit. VII. *Edmundus* I. a. 941. Northumbris victis, postquam totius insulae Dominus factus esset, in convivio perfide trucidatus; cui VIII. *Elfridus* succedens victis Scotis, amissas regni partes recuperavit, et a. 955. regnum ad filium IX. *Eduinum* libidinibus inquinatissimum, ac post eum ad

a) Polyd. L. 5. Cambdenus in Britan.

ad X. *Edgarum* transmisit; cujus filius XI. *Eduardus II.* quarto regni anno, seu 979. venenato haustu, *a*) et insuper perfidiose ordinato siccario ab *Alfreda* noverca trucidatus est, cujus regnum obtinuit novercae filius *Ethelredus*, de quo dum sacrum fontem conspurcasset praedictum erat, aliquando magnum dedecus Patriae ab eo inferendum; qui revera dum otio et vitiis torpesceret, vehementer a Danis vexabatur, quorum rex *Sveno Barbae Furcatae* post annuas Angliae illatas cladas, pulso *Ethelredo* Anglorum rege fere totam occupavit. *b*) Cujus filius *Canutus Magnus* Rex Daniae rebellantes Anglos sub *Edmundo* II. post trium annorum bellum an. 1016. denuo subjugavit, totamque Angliam Danorum imperio subjecit: cujus successores etiam uti *Araldus*, *Canutus* II. *Alfredus*, *S. Eduardus Confessor* e veteri Saxonicorum Regum prosapia ortus, quem excepit *Haraldus* 1066. qui nono imperii mense a *Gulielmo Conquestore* Normanniae duce praelio

---

a) Polyd. L. 6. Math. Vestmon in Hist. Anglor. Hieronym. Cypraeus. de Orig. Saxon. Anglor. Hafniae. 1637. Gulielm. Temple. etc. *b*) Henric. Savilius. Londini 1596. Irruptiones Danorum in Angliam descriptae sunt ap. Gulielmum Malmesburiensem. L. 5. ejusdem Historiae novellae Libri 2. Henricum Huntindonensem. Historiarum Libri 8. Ethelverdi Chronica. Rogerium Hovedenum. Gulielmum Cambdenum hoc titulo; Anglicarum, Hibernicarum et Cambricarum Scriptores. Francofurti 1602. fol.

lio victus, cum suis 20. millibus occisus est; Hic *Gulielmus* a victoriarum copia *Conquaestoris* nomen meruit; cui anno aetatis 74. mortuo successit *Wilhelmus Rufus*

Reges Anglorum Normannici, qui inde ab initio regiminis Wilhelmi Conqaestoris, usque mortem Reginae Elisabethae regnarunt, seu ab an. 1066. *usque an.* 1603. *distingvuntur in V. classes, in prima sunt.*

Reges Domus Normannicae.

I. Vilhelmus I. alias *Gulielmus Conquestor* e Normannia in Angliam veniens, commisso ad *Hastingum* Sussexiae oppidum praelio, *Haraldum* ultimum Saxonum Regem interficiens an. 1066. totam Angliam subegit, populo duras leges imposuit; uti Angliae populi deinceps arma non gestarent; item ut signo campanae dato circa horam decimam vespertinam, suae quisque domi ignem lumenque exstingveret: cui tandem successit 1087. filius.

II. *Vilhelmus Rufus* qui *Robertum* patruum sui promotorem coercuit, Vallos domuit, Scotos vicit, et legem tulit nequis sine regis venia Anglia egrederetur. Tandem in venatione improviso ictu *Valteri* periit, successorem relinquens Fratrem suum.

III.

III. *Henricus I.* Fratrem suum *Robertum* rebellem superavit et incarceravit; Normanniam sibi subjecit, sed a *Ludovico Crasso* victus, brevi etiam filios suos ex Normannia in Angliam navigantes, ad 150. personas naufragio amisit, documentum posteris relinquens fortunae discrimini ventorumque ludibrio spem non esse concredendam; post quem casum nunquam Rex risisse traditur, *a*) qui ex esu murenarum an. 1135. febri sine haeredibus decessit, et ei successit.

IV *Stephanus* Comes Blessensis ex sorore nepos, cui mox bellum movit *Mathildis* filia *Henrici*, elocata jam antea *Henrico V.* dein *Godofredo* Comiti Andegavensi; ab hac etiam *Stephanus* Rex victus et captus, ea conditione libertati restituebatur, ut ipse ad mortem quidem regnaret, sed ei *Mathildis* filius *Henricus* succederet: post haec *Stephanus Davidem* Scotum clade 10 millium profligavit, sibique vasallum fecit, *b*) decessitque anno regni 19.

Reges Domus Andegavensis.

V. *Henricus* II. Comes Andegavensis, ex pacto *Mathildis* post mortem *Stephani* impe-
rare

a) Paul. Aemil. L. 5. Polydor. L. 10. Hist. *b*) Idem. L. 12. Buchananus L. 7. sed paulo aliter narrat.

rare coepit, dum antiqua regni jura instaurare niteretur, *Thomam* Cantuariensem Archiepiscopum adversarium expertus, ira furens occasionem eum occidendi praebuit; quare a Monachis jussu Pontificis punitus est; post haec filiorum rebellionibus vexatus, tandem *Turones* Gallorum auxilio sibi subjecit *a*) Cui mortuo 1189. successit.

VI. *Richardus* qui ex sacra expeditione redux ab *Henrico* Imperatore, ob injurias *Leopoldo* Austriaco in Palaestina illatas, captus; post 18. menses, quum 150. pondo auri solvisset dimissus: brevi regem Galliae quod Normanniam invasisset vicit. Postea dum Aquitaniae ducem obsedisset occisus est an. 1199. successit ei frater

VII. *Joannes sine terra* qui plurimum cum Pontifice dissidebat eo, quod in Anglia plane Archi Episcopos jam Pontifices creare incepissent; ideo dum Ecclesiasticos durissime tractaret excommunicatus, Galliae regis rapinis expositus, tandem ne regno penitus excideret, resignavit coronam suam cum regno Angliae et Hiberniae in manus Pontificis, qui variis exactionibus dein adeo Angliam pressit, ut palam subditi *Joannem* Regem *Nobilitatis Anglicanae* con-

a) Polydorus Vergilius L. 13. Hist. Anglor. cujus accuratiorem editionem procuravit Antonius Thysius, Lugduni Batavorum 1651.

confusionem esse dicerent. Successit ei an. 1216. filius.

VIII. *Henricus* III. qui Hiberniae principem et Vallenses rebelles domuit, Gallis qui jus in Angliam praetendebant bellum movit, a quibus tamen victus et fugatus est: *a*) hinc cum proceribus dissidens; ab iis una cum fratre *Richardo*, et filio *Henrico* captus est; unde filius brevi elapsus, victis proceribus patrem et patruum libertati restituit. Huic successit filius 1272

IX. *Eduardus* I. ex Andegavensi familia, inter fortissimos et prudentissimos sui temporis reges habitus, *Vallos* rebelles composuit, primipilos securi percussit, Principatum Valliae et Scotiam, Anglorum ditioni subjecit. Judaeos regno expulit, in Comitiis Francorum palam edixit se esse Dominum earum Galliae Urbium, quas jure in Gallia possideret. Aquitaniam amisit, sed Scotiae regem caesis 7. millibus intercepit Normanniam vastans etiam Gallorum classem vicit; a Scotis duce *Valla* (qui, primus latronum dux erat) initio victus, demum 10. millibus Scotorum trucidatis, *Vallam* captum suplicio affecit. *b*) Post haec Anglis successorem reliquit 1307. filium

X.

---

a) Math. Parisiensis in Joanne et Henrico. Polydorus. L. 15. et 16. Polydor. L. 17. Massonius. L. 3. *b*) Polydor. L. 17. Buchanan. Hist. Scotor. L. 8.

X. *Eduardum* II. qui lascivus et ignavus princeps mox a *Roberto Borussico* ex omni parte vehementer infestabatur, ideo post amissam Hiberniam et partem Angliae, regno se abdicavit anno regni 19. et successit ei 1326.

XI. *Eduardus III.* statim Scotos ex Hibernia clade affectos rejecit. Dein gravem contentionem habuit cum *Philippo Valesio* Galliae rege de jure successionis in regnum Galliae, hinc suscepta in Galliam expeditione, 300. navium classem cum multis hominum millibus perdidit. Item ad *Cretii* oppidum et *Pictavium* longe majori clade affecit, ubi periverunt 11. Principes, 80. Barones. 1200. Equites, e communi vero exercitu 30. millia occubuerunt; ipse rex fuga vitam salvans, tandem undecimo obsidionis mense *Caletum* quoque expugnavit. Quo tempore etiam Regina in Anglia militari virtute praedita, *Davidem* Scotiae regem Angliam invadentem, caesis 15. millibus vicit et captivum intercepit. *a*) Interim mortuo *Philippo Valesio* filium ejus successorem *Joannem* vivum intercepit et in Angliam abduxit, unde pace ad oppidum *Bretignium* facta, pulcherrimas provincias et Civitates ob elibertationem regis *Joannis* Galli cedere debebant Anglis; qui dum subjectos sibi Gallos nimis exactionibus a se abalienavisset, Galli resumtis animis duce *Philippo Burgun-*

---

a) Polyd. L. 18. et 19. Paul. Aemil. L. 8. et 9. Frossardus L. 1.

gundo brevi totam fere Aquitaniam recuperarunt. *Eduardus* III. mortuus est an. 1377. imperii 51. cui successit ex filio *Eduardo* nepos:

XII. *Richardus II.* qui Hiberniam captis quatuor regulis sibi subjecit; mox seditione ob exactiones vexatus, *Thomam* patruum se ob ignaviam reprehendentem strangulari jussit, *Henricum Lancastrii* patrui filium ob quaedam dicta, bonis fisco addictis exilio punivit, sed is a proceribus, qui crudelitatem *Richardi* jam pertaesi erant revocatus, *Richardum* regem captum fame in abundantia enecuit anno regni 22. et Regnum obtinuit a. 1399. *Henricus Lancastrensis. a*)

Reges Domus Lancastrensis.

XIII. *Henricus* IV. Scotos magna clade attrivit, sed tamen brevi infaustae et fatales ortae sunt contentiones de jure Imperii inter familiam *Eboracensem* et *Lancastriam*, quarum illa *Rosam albam* haec *Rosam rubram* pro insigni gerebat: quam tamen conjurationem, et Vallensem seditionem feliciter opprimens, an. 1413. moritur, et successorem reliquit filium

XIV. *Henricum V.* qui Galliam ideo hostiliter vastavit, quod rex filiam suam *Catharinam* ei in uxorem dare nollet, qui ex desperatione adeo fortiter eum exiguo suo exercitu dimicavit,

---

a) Polyd. L. 20. 21. Hist. Angl.

vit, ut sexduplum Gallicum exercitum sibi ad *Azincurtum* Picardiae oppidum occurrentem magna clade et 10. millium captivitate superaret, hinc late per Galliam arma victricia circumferens, multis florentissimis oppidis expugnatis, tandem pace conciliata obtinuit, *a*) ut ducta in Matrimonium *Catharina* filia *Caroli VI.* Galliae regis, donec pater insana mente viveret, regnum Galliae interea administraret, quo facto certissimus ejus morte haeres et successor Galliae futurus erat, nisi ipso aetatis flore *Henricus V.* moreretur 1421.

XV. *Henricus VI.* octo mensium infans Angliae et Galliae rex renunciatus, initio imperii sui anno, felicissima matris gubernatione totam fere Galliam *Carolo VII.* interea Galliae regi electo armis eripuit; verum ubi adolevisset a paterna virtute degenerans, brevi per ignaviam et imbecillitatem, omne id quod Pater tantis animis acquisiverat amisit, excepto *Caleto.* Domi vero ob gravissimas contentiones inter *rosam albam* et *rubram* subortas tantopere agitabatur, ut bis plane caperetur, sed a *Margareta* uxore, superato et interfecto *Richardo* liberatus, sed denuo a seditiosis commisso cruentissimo proelio in Scotiam fugatus, captus et carceribus mancipatus, officioque regio amotus est a. 1461. cui successit Eboracensis Comes *b*)

Re-

---

a) Idem. L. 22. Hist. Angl. Item Casus omnes, qui sub Henrico IV. acciderunt, prodiverunt Londini 1609. *b*) Polydor. L. 23. 24. Philip. Cominaeus L. 4.

Reges Domus Eboracensis.

XVI. *Eduardus IV.* Marchiae Comes rex a seditiosis creatus parum meliori successu, cujus imperii tempora plena turbarum erant, nam a Comite *Barvicensi* promotore suo plane regno exutus erat; quod tamen opera *Burgundi* denuo recepit, hostes perdomuit et intra 20. dies totam Angliam recuperavit. Fratrem suum *Georgium* Clarentiae ducem rebellem vino suffocavit; verum quod ab *Georgio* metuendum habuit, *Richardus* dux Clocestriae effectui mancipavit, qui *Eduardo IV.* successit 1483. *a*) Nam *Eduardus* V. altero imperii mense peremtus est.

XVII. *Richardus III.* Dux Glocestriae, mortuo *Eduardo IV.* omnes fratris sui liberos trucidavit, qui crudelissimus Tyrannus altero regni sui anno, a Genero *Eduardi Henrico* Richemontiae duce, auxilio *Caroli* VIII. Galli, victus et jugulatus poenas dedit 1485. victor mox Rex salutatus est *Henricus.*

Reges Domus Tudorensis.

XVIII. *Henricus* VII. *Sapiens*, diuturnas et sanguinolentas factiones *Rosae Albae* et *Rubrae*

---

a) Polyd. L. 24. ad finem Camerarius de success. T. 1. c. 94. Gulielmus Flethwodus Elenchum Annal. Eduardi V. et Richardi III. Londini 1597. Joan. Franc. Blondinus. Hist. bell. Civilis Anglicani usque an. 1483. Venetiis. 1637.

brae beneficio matrimonii sui optato cum fructu composuit, ipse enim e Domo Lancastriae ortus in uxorem duxit *Eduardi* IV. Eboracensis filiam quo facto bellis intestinis feliciter sublatis, 24. annis tanta arte regnum administravit, ut passim sui temporis *Salomon* vocaretur, *a*) Vitium tamen avaritiae ei attribuitur; cui an. 1509. mortuo successit.

XIX. *Henricus* VIII. inter omnes Angliae reges propter vitia et virtutes notissimus, qui ab uno extremo in aliud ruens, affectibus dominari nescius apud subditos dubium reliquit, an virtutes vel vitia in eo partes majores habuerint? Nam exorta nova Lutheri Doctrina quum rempublicam sacram aeque ac profanam perturbavisset, initio statim solus in favorem Pontificis scripsit, quare etiam titulum *Defensoris fidei* sibi et posteris obtinuit: verum mobili suo ingenio brevi ab Ecclesia Romana deficiens, se *supremum Anglicanae Ecclesiae Caput* salutari praecepit, novumque religionis systema quoad disciplinam praescribens, ad id jurare omnes Proceres et Episcopos compulit. Divortio suo se et regnum mire perturbans, simul immoralem suam indolem manifeste probavit sex connubiis; nam postquam *Catharinam* Arragoniam *Arthuri* viduam dimisisset, *Annam Boleniam* si

a) Polydor. L. 26. Franc. Baco de Verulamio Hist. Henrici VII. scripsit. Lugduni Batavorum. 1647. in 12. Buchanan. Hist. Scotorum. L. 13. et 14.

sibi copulavit, matrem insuper *Elisabethae* brevi securi percuti jussit. Dein duxit *Johannam Seymuriam* quae in partu obiit: exin *Annam Clivensem* quam mox intactam repudiavit: item *Catharinam Havardam* adulterii accusatam securi percuti jussit: denique *Catharina Parre* superstes ei mansit, quum moreretur an. 1547. successit ei. *a*)

XX. *Eduardus VI. ex Johanna Seymuria* natus, fuit novem annorum rex proclamatus, alias egregia indole praeditus, sub tutela avunculi educatus, ejus imprimis consilio sacra Catholica abolevit, et religionis reformationem solenni decreto in Angliam introduxit; quo demum in juvenili aetate non sine suspicione veneni mortuo an. 1553. Regnum obtinuit *b*)

XXI. *Maria* sub qua mox alia rerum facies invaluit; *Johanna* enim novae factionis caput, cum marito et socero suo *Dudlaeo* cum aliis primipilis extremo supplicio affecta est; dein Catholico cultu pie instaurato, mox in omnes novae Doctrinae sectatores ferro et igne saevi-

---

a) Polyd. L. 27. Sleidan. Hist. Franc. Guicciardus. in Comment. L. 1. et 2. Thuan. L. 1. et 3. 13. Robert. Broke. novos casus scripsit Henrici VIII. Eduardi VI. et Mariae reginae Londini. 1604. et Hagae Comitum 1653. Franc. Godvinus, de iisdem regibus scripsit, Northoni 1616. fol. Hieronym. Pollinus. Hist. Anglica Henrici VIII. usque Elisabetham. Romae 1594. Gilbertus Burnettus Historiam reformationis Anglicanae scripsit. Londini 1683. et 1685. in 4. *b*) iidem.

saevitum est. *Maria* regina nupsit *Philippo II.* Hispaniarum regi, sed cum Regina provectae esset aetatis, matrimonium sterile mansit, hinc spes Angliae potiundae quam *Philippus* conceperat evanuit, *Maria* vero contracta febricula decessit a. 1558. Cui, licet *Maria Scotica* pro haerede se gereret, titulosque regni Angliae sumsisset, tamen successit *a*)

XXII. *Elisabetha* Regina supra sexum prudentissima, multisque literis culta, cujus memoria ob prudentiam, clementiam aliasque virtutes apud Anglos sacra est, quae mira animorum captatrix, amorem et venerationem subditorum sibi conciliavit, in quorum gratiam, Doctrinam Sagvini et genio Anglorum faventem restituit adeo; ut verum Reformationis initium a temporibus *Elisabethae* imprimis deduci possit; haec enim Sacra Catholicorum in perpetuum eliminavit. Sub Ipsa potentia Hispanorum nimium contrita est, nam instructissimam classem *invincibilem* dictam, 150. navium, stupendae magnitudinis ad subigendam Angliam a *Philippo II.* missam an. 1588. vicit, incendit et magna praeda delevit. Maximas seditiones in Belgio contra Hispanos, opibus et copiis sustentavit; quo facto prima fundamenta posuit potentiae maritimae, commerciorum et navigationis; prout in hunc usque diem florent. Tandem 45. annis praeclare administrato regno, aetatis

80.

a) Iidem. ibid.

70. morti vicina *Elisabetha*, Scotiae Regem *Jacobum* fere Scripto haeredem declaravit, ipsa vero coelebs decessit 1603. *a*) Quo facto utriusque Insulae summum Imperium consentientibus Ordinibus ad novam *Stuarti* Familiam transivit.

Reges Utriusque Insulae De Domo Stuart.

XXIII. *Jacobus I.* ex domo *Stuart* Scotorum Rex, post mortem *Elisabethae* quoniam ipse esset ex Anglorum Regum prosapia, non modo testamento *Elisabethae* sed etiam omnium Procerum consensu Rex Angliae declaratus, mox Scotiam Angliae conjungens, Monarchiae suae nomen *Magnae Britanniae* indidit ne novae dissensiones ex alterutrius regni titulo condam orirentur; a quo tempore Anglia, Scotia et Hibernia iisdem regibus parent: initio statim structas vitae suae insidias a Comitibus *Gaureae* feliciter evasit, et conjurationis participes supplicio affecit; pacem cum Hispano perpetuam terra et mari ope legatorum sanxit, et licet cum exteris ad reprehensionem usque pacis amans esset; nihilominus tamen Britannia perpetuis turbis agitabatur partim ob novitiam religionem reforma-

m tam

---

a) De Elisabetha scripsit Adolphus a Dans, Londini 1670. Burnettus, Ribaideneira. Cuil. Camdenus etc.

tam, quam parum rex fovere credebatur; partim quod idem rex jura ordinum invadere imminuereque moliretur; hinc anno 1605. horribilis *Sulphurea* seu *Pulveraria Conjuratio* erupit, qua pyrio pulvere 36. doliorum, Curiae Westmonasteriensi, in qua comitia Regni celebrari solent, supposito; non solum Rex cum tota familia, sed etiam Senatus seu utrumque Parlamentum e medio tolli debuerat. Conjurationis patratores e numero procerum erant *Thomas Vinterus*, *Robertus Catesbejus*, *Thomas Percius et alii: e Jesuitis vero Crenvellus*, *Oldcornus*, *Guido Faukius et Henricus Garnettus*, etc. quae tamen detestanda Machinatio mature detecta, consilium in consultores vertit. Rex liberatus arctiori fidelitatis juramento subditos sibi obstrinxit. Dein navigationes in Indiam instituit. Colonias in *Virginiam* concessis amplissimis privilegiis duxit. Tandem *Jacobus* ex conjuge sua *Anna Friderici II.* Danorum regis filia susceptum filium *Carolum* successorem nominans ipse mortuus est 1625. *a*)

XXIV. *Carolus I.* patris sui vestigia secutus, potestatis regiae acerrimum vindicem se exhibuit; cumque suis conatibus imprimis adversari intelligeret, Presbyterianos utpote infensissimos hostes tam Monarchiae quam inductae Hieral-

---

a) Thuanus L. 124. usque 138. Julius Caes. Buling. L. 10. Robertus Jonstonius. in Historia rerum Britanicarum ab an. 1572. usque 1628. Amstelodami 1655. fol. Gretserus.

Hierarchiae Ecclesiasticae, ideo eos continuo insectabatur. Contra jura Anglorum Carolus 12. annis nullum Parlamentum celebrans, cuncta pro arbitrio ordinavit, leges promulgavit et tributa subditis imposuit. Interim tamen exhausto aerario, et rebellantibus Scotis, Parlamentum indicere compellebatur: ubi tamen nullis precibus aut minis ordines regni ad opem Regi ferendum induci poterant, antequam praeteriti regiminis ratio redderetur, et de perversis Consiliariis Regiis supplicium sumeretur; hinc altercatio diuturna Regem inter et ordines tandem in apertum bellum erupit, cumque diu cruentissimis pugnis certatum fuisset, commisso ad *Eboracum* decretorio praelio Rex cum suis victus ad Scotorum exercitum fugere debuit; a quo tamen 400. millium librarum auri pretio, promissa vitae ejus securitate, Parlamento Anglorum traditus est; ubi repente nova Secta *Independentium* enata fuit; quae jam antea sub Presbyterianorum et Puritanorum nomine occultae latuerat: qui summam Imperii potestatem ad se transferentes, omne ineundae pacis consilium interverterunt, cujus horribilis factionis Caput erat *Oliverius Cromwellus* Versutissimus, qui omnia officia Militaria et Civilia suae factionis hominibus replens, summus arbiter rei Civilis et Militaris evasit, qui mox summum Tribunal constituit, a quo infelix Rex *Jacobus* ad defendendam suam causam vocatus, convictus et securi percussus est anno 1649. cu-

jus uxor una cum liberis jam antea in Galliam se recepit. *a*)

XXV. *Oliverius Cromwellus usurpator.* Post caedem *Caroli* regis, summa Imperii potestas penes *Oliverium* factionis ducem mansit, qui postquam Scotiam et Hiberniam terrore replevisset, et caesi regis filium *Carolum* paternum regnum sibi vindicantem cum omnibus Gallorum copiis e Britannia ejecisset; communi Anglorum voto *Protector Angliae, Scotiae et Hiberniae* salutatus est: qui continuo Regio nomine abstinens, regia tamen potestate usus, cunctos sibi parere compulit. Cum Batavis bellum gessit quoniam caesi regis filium *Carolum* apud eos commorari intellexisset; quem ne diutius tolerarent, eos inita pacificatione permovit. Hispanorum Classem ex America redeuntem magnis detrimentis, imo hostiliter lacessivit et Jamaicam Americae insulam ditioni Anglorum subjecit, Parlamentum sustulit, et bellicum Consilium quod suo arbitratu flectere noverat retinuit. Gallis adversus Hispanos auxilio fuit, cujus proemium fuit *Dünkirke* occupa-

---

a) Caroli I. Historiam vide ap. Jonstonium, et Georg. Laeti in Theatro Britannico. Georg. Hornius descripsit res Angliae ab an. 1645. — 1647. Wilhelm. Sandersonius. Historiam vitae et necis Caroli I. prodivit Londini. 1656. in 12. Robert. Manlius scripsit Commentarios de rebellione Anglicana ab a. 1640. — 1649. Londini. 1686. in 8. huc spectat Georg. Bateus.

cupatio. Ceterum *Cromwellus* non tantum suis, sed etiam exteris fuit adeo formidabilis, ut potentissimi etiam Reges missis legatis ejus amicitiam expeterent. Cujus fama etiam Judaei permoti Legatos *Londinum* miserunt quaesituri an *Messias* esset? Verum *Cromwellus* anno 1658. mortuus est; *a*) cui in reipublicae administratione successit filius *Richardus Cromwellus* qui artificiosam illam patris regnandi artem nesciens, in sui perniciem Parlamentum restituit, et Scotiae Gubernatorem *Monkium* totius Britanici exercitus Ducem eligendum permissit, qui *Richardum* oneri ferendo imparem deprehendens, brevi cum Parlamento de revocando exule Principe *Carolo* consilium inivit, qui etiam Londini 1660. rejecto *Richardo* inter laetissimas populi acclamationes throno restitutus est.

XXVI. *Carolus II.* post diuturnam patris mortem diu in Gallia, Germania et Hollandia exul, tandem consensu procerum ad paternum solium revocatus et solenniter 1660. coronatus est, sub cujus initiis magna rerum conversio sequebatur, nam pristinam regnorum formam restituit, Episcopos et Parlamentum juxta antiquam consvetudinem confirmavit. In auctores caedis patris inquisivit, ac alios suppliciis afficiens, aliis gratiam concessit, militiam stabilem retinuit,

---

a) Idem Bateus scripsit Elenchos motuum nuperorum in Anglia, usque ad Cromvelli mortem Londini 1661. in 8. item Thomas Skynnerus. Londini 1676. in 8.

retinuit; ex inita cum Gallis amicitia, summam potestatem pro lubitu exercuit, Catholicae religioni favit, maximeque laboravit ut mercatura tamquam reipublicae nervus in omnibus provinciis augeretur. Hinc quum Anglicae gentis natura esset ex uno extremo in aliud labi, parum aberat quin ex nimia libertate in absolutum et arbitrarium Regis dominium forma regiminis verteretur. Verum dum successive Regis Religio dubia evasisset, imprimis quoniam Regis frater *Jacobus* dux Eboracensis Catholica Sacra palam profiteretur; item quod foedus cum Gallis inconsultis ordinibus inivisset, ac infelicibus bellis Batavorum non modo aerarium exhausisset, sed insuper crescente Batavorum potentia in fluvio plane *Thamesin* magnas hostilitates naviumque jacturam experirentur: unde cum Hollandis pax *Bredae* a. 1668. ineunda erat; tantopere amor subditorum in regiam familiam elanguit; ut etiam legem celeberrimam *Habeas Corpus* (quae civem ante judicis Sententiam vinciri prohibet,) ferendo, Ministrum Regium *Damby* proditorem jurium patriae in carceres conjiciendo, *Jacobum* fratrem suum jure successionis exuendo, populum tamen sibi conciliare non potuit; imo regnum in duas factiones notissimas uti *Torys* et *Wighs* scissum, regem in maximum periculum conjecit quare ad praevertenda bella civilia Rex Parlamentum dissolvit, Fratri *Jacobo* jus successionis transcripsit; conjuratorum primipilos puni-

punivit. Quibus curis intentus, tandem imperii anno 26. mortuus est. 1685. *a*)

XXVII. *Jacobus II.* frater *Caroli* regis, superatis factionibus Catholicam fidem magnis animis in Angliam revehere, stabilitam vero Reformatam religionem una cum patriis legibus evertere conabatur: ideo Nuncium Apostolicum Londinum recepit, Edictum tolerantiae promulgavit, et reluctantes Episcopos in vincula conjecit: quae omnia aegerrime ferentes Angli, amplius adhuc metuere coeperunt, dum ex altera conjuge *Beatrice* Mutinensi *Eduardum* filium suscepisset, quem Catholico more educatum ne Angli successorem habere cogerentur, mature de religione et libertate solliciti, *Wilhelmum Arausiacum* cui *Jacobi* filia *Maria* nupta erat, spe consequendi regni in Angliam evocarunt; ad cujus adventum *Jacobus* territus, quum frustra fidem procerum implorasset, rebus desperatis, Uxorem cum filio in Galliam mature dimisit, ipse vero in vincula conjectus, inde brevi elabi permissus, in Galliam exul abiit 1689. *b*)

XXVIII.

---

a) Bascobel descripsit eum memorabilem locum, quo Carolus II. post proelium Vorcestriense latuit, et quum in Angliam reduceretur ejus fata vulgavit Edmundus Castellus, Solem Angliae orientem, auspiciis Caroli II. Londini 1666. in 4. Vitam Caroli II. scripsit Daniel Hartnaccius. *b*) Idem scripsit etiam vitam Jacobi II. Cologne 1694. in 12.

XXVIII. *Vilhelmus III.* Princeps Arausionensis (Oranien) cum conjuge sua *Maria* a Scotis et Anglis in Regem salutatus, Hiberni qui partibus *Jacobi II.* fideliter adhaeserant multum negotii ei facesserunt, sed *Wilhelmus* Danicis, aliorumque Principum copiis auctus, turbas domesticas prudenter componens, *Jacobum* cum sociis Gallis fugavit; quo bello Gallico durante *Wilhelmus* mortuus est a. 1702. et ei successit. *a*)

XXIX. *Anna* soror *Mariae*, et exauctorati *Jacobi* Regis filia, nupta *Georgio* Daniae et Norvegiae Principi; bellum contra Gallos susceptum feliciter continuavit; diuturnas altercationes ob unionem Angliae et Scotiae vigentes, adeo faustis auspiciis consummavit, ut passim hocce encomium de ea pronunciarent; *Henricus VII. Rosas, Jacobus VI. Nomina, Anna vero regna conjunxit:* nam cum prole careret, spemque Principibus Catholicis succedendi praescinderet, lege publica decrevit successionem ad *Domum Hannoveranam* esse devolvendam per lineam maternam; licet in linea masculina existens *Eduardus* Valliae princeps, agente etiam *Ludovico XIV.* Galliae rege succedere debuisset;

a) Wilhelmi vitam scripsit Lambertus Busch. alias Sylvius. Amstelodami 1694. in 4. pleniorem et accuratiorem ejus Historiam edidit Chevalier, Amstelodami 1692. fol. item P. A. Samson Haye 1703. et Amstelodami. Joan. Georg. Graevius. Eberhardus Gvernerus Hoppelius. Gilbertus Burnettus. Hagae Comitum 1695. etc.

buisset; unde exortum bellum Gallicum, cum magno Britanniae emolumento feliciter gessit, pace enim *Ultrajectensi* a Gallis accepit Fretum *Hudson*, insulam S. Christophori, et novam Scotiam: ab Hispanis vero Gibraltam et Minorcam. Ceterum domi ferales turbas excitavit *Henricus Sacheverellius* Anglicanae Ecclesiae Presbyter, cujus sermones ex Sententia Parlamenti per lictorem combusti sunt. Praeterea aliae duae politicae sectae etiam turbabant tranquillitatem, *Rigidorum* nempe *Torys* seu *Episcopalium* qui Jus regium; item *Mitiorum Vighs* seu *Presbyterianorum* qui ordinum jura propugnarunt: hinc novae turbae minari videbantur reipublicae; quas utcunque sedavit mors Reginae a. 1714. *a*)

Reges de Domo Hannoverana.

XXX. *Georgius* I. Elector Hannoveranus, qui ab *Elisabetha Jacobi* Angliae regis filia ortum ducens, ex lege *Annae* et ordinum consensu eodem Reginae mortis die Rex proclamatus, jure haereditario regnum obtinuit, qui inter prudentissimos Britanniae Reges numeratus, prudenter regna sua gubernavit, curas eo imprimis convertens, ne Gallorum nimia potentia, Britanniae exitio evadat, qui dum varias turbas a *Praetendente* in Scotia excitatas feliciter compescuisset, mortuus est *Osnabrugae* 1727. cui successit filius XXXI.

a) Historiae Universalis scriptores praecipui Remer, Millot, Schröck, Gruber, Grebner, Bolla etc.

XXXI. *Georgius II.* maximis virtutibus in suorum subditorum commodum praeditus mox foedus cum *Carolo VI.* Germaniae Imperatore iniens, totius Europae aequilibrium politicum procuravit, et sanctio Pragmatica quo ad Austriacarum terrarum conjunctionem, et femineam successionem novum robur accepit. Quo ex foedere non modo Imperatoris *Caroli* filiam *Mariam Theresiam* pecunia et auxiliis constanter juvit contra sanctionis pragmaticae eversores; sed etiam gravissimo praelio ad *Dettingam* cum hostibus commisso, cum laude ipse Rex interfuit. Porro famosum illum *Jacobum Praetendentem* Gallorum auxiliis potentem e finibus Scotiae feliciter exegit. Et postquam Valliae Princeps praemature obiisset, mox in spem regni majoribus curis educandum curavit nepotem suum *Georgium Wilhelmum Fridericum*, cujus optimas intentiones demum interturbarunt lites Gallos inter et Anglos subortae de possessionibus in Boreali America, unde exortum bellum 1756. optato fructu terminare non potuit, quum morte praeventus esset 1760.

XXXII. *Georgius III.* nepos *Georgii II.* qui facta cum Gallis pace *Versaliensi* 1762. totam *Canadam* Americae, Anglorum ditioni adjecit extenditque potentiam Anglorum in Indiam orientalem, regna *Bengala*, *Bahar* et *Orixa* occupando. Verum in America amisit tredecim provincias, quarum coloni ob restrictam mercandi libertatem rebellantes, auxilio Gallorum

et

et Hispanorum jugum excusserunt, et Liberam rempublicam constituerunt 1783. Porro varia fortuna etiam contra Gallos sequentibus *Napoleonis* temporibus bellavit: inter quas Reipublicae curas in morbum mentis et Podagrae incidens, licet suorum animos pacis studio, et optima successoris sui *Georgii* IV. directione sibi conciliasset, tandem mortuus est 1820.

XXXIII. *Georgius IV.* natus 1762. jure haereditario regnum obtinuit 29. Januarii 1820. qui rejecta uxore nullam spem successionis habet. Regnum paternum feliciter juxta proprias gubernat Anglorum constitutiones, sub quo Catholici Hiberni ardentissimis votis orarunt, ut odio religionis hucusque pressi, tandem jure civitatis donarentur; quae Catholicorum justa praetensio etiam post multas, disceptationes Parlamenti voto rejecta est. Mirum pro seculi genio!

§. 5. *Status Literarum et Artium Britanniae.* In nobilissimam hanc insulam post diluvium bonas literas pervenisse multis ostendere non est necesse, quoniam ea quae de Gallorum vetustissimis Philosophis diximus etiam ad Angliam referuntur, *Caesar* enim ait Druidarum Doctrinam ex Britannia in Galliam fuisse translatam, quo etiam Graecorum Philosophi sensim pervenerunt; prout autem Romano Imperio subjecta fuit Britannia, dubium non est quin Romanorum scientiae et artes simul fuerint introductae; cum religione vero Christiana etiam scholae publicae introduci coeperunt, quales jam

olim

olim duae nobilissimae celebrantur, uti Academia *Cantabrigiensis* et *Oxoniensis*, de quarum erectione variae supersunt opiniones; et quidem primo *Cantabrigiensem* fundatam dicunt alii an. 630. a *Sigeberto* Anglorum rege: alii longe citius per *Cantabrum* Hispanorum Regem fundatam dicunt; quae sententia verior est: nam exstat *Honorii* I. Pontificis rescriptum datum Romae anno Domini 624 quo et se Cantabrigiae literis operam dedisse refert, et simul gravate percepisse ait; quod celeberrima olim ea Universitas a paganis vexaretur. Quae revera doctissimis semper viris abundavit; hic enim *Venerabilis Bedá*, *Alcuinus Caroli* M. Praeceptor, *Joannes Roffensis*, *Thomas Morus*, *Thomas Linacer*, *Erasmus Rotterodamus* et alii floruerunt. II. Academia est *Oxoniensis*, quam quidam temporibus belli Trajani a Graecis Philosophis temerarie fundatam affirmant; ubi tamen ex communi Historicorum sententia ea fundata est 873. ab *Alfredo* rege; his additur tertia Academia *Londinensis*, ex quibus etiam hodie viros doctos omnium facultatum et scientiarum peritissimos plurimos producit Anglia. Porro *Balliolus* Scotorum rex, dum in Britannia exularet fundavit Balliorense collegium. *Guilhelmus Martonus Eduardi* regis Cancellarius anno 1285. *Collegium Martonium* erexit. *Gualterus Stapyltonus* Ep. Exoniensis duo alia collegia 1326. adjecit. Cantauriense Collegium exstruxit *Simon Cantuariensis* 1366. Pulcherrimum collegium, quod *Re-*

gium

gium sive *Regina* dicitur 1367. fundavit *Philippa* regina. *Henricus* Archi-Episcopus duo Collegia adjecit, unum Divo *Bernardo*, alterum memoriae mortuorum dicatum. *Gulielmus Vanfletus* Ep. Vintoniensis *Collegium Magdaleneum* posuit. *Guilhelmus Lincolniensis* vero erexit Collegium *Brasynnose*. *Richardus* Vintoniensis Ep. fundavit *collegium Corporis Christi* 1515. Fuerunt olim in Anglia aliae etiam Academiae, quae nunc interciderunt, uti *Legionensis*, *Carleonensis*, *Bannochorensem Lucius* rex Christianus erexisse creditur. Licet autem tardius quam regni incolumitas postulabat in Scotia fuerint scholae erectae, tres tamen imprimis celebrantur, uti Academia *S. Andraee* 1411. erecta. *Aberdoniensis* loci Episcopus *Guilhelmus Elphinstonius* 1480. instituit: et *Glassoviensis* ex quibus ingenia Scotorum vivida, excitata, ignea, et sapientiae capessendae maxime idonea prodiverunt. Demum recentioribus temporibus *Georgius II.* Britanniae rex in viros eruditos et Scientias munificus, ad promovendas bonas artes et Scientias maximis reditibus an. 1737. fundavit Universitatem *Göttinganam* hodie in Europa a Doctissimis Professoribus celeberrimam; cujus Rector et Praeses semper Britanniae Reges sunt. Angli ad artificia et mercaturam sunt aptissimi.

Caput V.

Exhibens Historiam Danorum.

§. 1. *Statistico Geographica notio Daniae* Regnum Daniae amplum et populosum vulgo *Dannemarchia* seu regio Danorum appellatur, se vero *Daneman* seu *fluviales* vocant. Ab occidente habet mare Germanicum, ab ortu mare Balthicum, a septemtrione Norvegiam et et Sveciam, a meridie Holsatiam et Pomeraniam. Quod ad fertilitatem soli spectat, frumenti ac pecorum feracissima est Dania; Sterilis quidem maxima ex parte est Norvegia, mercium tamen quae exportari possunt, ibi ingens est proventus, in iis enim partibus sunt pisces, ligna, adeps Balaenarum, pix et similia: fodinis etiam auri, argenti et ferri abundat; maris affluentia Danos imprimis alit, et quibus ad vitae usum carere nequeunt, natura Danis non denegavit. Quae autem fuit Danorum origo ne ipsis quidem satis constat; *Munsterus* de imperio Majorum scribit: *Danum* quondam multis ante *Christum* seculis ibi regnum primum tenuisse, a quo Danicorum regum

gum familia successionis ordine profluxerat. Hodie Danorum omnis regio maris faucibus interrupta, ex his praecipuis partibus constat: uti *Jutia* meridionali et septemtrionali, quo Slesvicensis et Holsatiae ducatus pertinent. *Zelandia* et *Scania* praeter insulas singulis partibus adjecentes. Divisa est tota Dania in 184. Praefecturas quae *Heret* vocantur, et a totidem Praefectis legum Danicarum peritis administrantur. 15. Urbes Celebres, et 12. arces Regias numerat praeter minores, praecipua totius Daniae metropolis est *Hafnia* seu *Copenhaga* magnitudine, opulentia et maxima portus commoditate insignis. Aliae urbes sunt: *Londa*, *Malmogia*, *Varburgum*, *Gotlandia*, *Arhusium*, *Ellemansbergh*, *Slesvicum*, *Wick*, *Flensburgum. etc.* Flumina sunt: *Egidora*, *Chalusus.* Plurimi incolarum piscaturam exercent; incolae sunt jucundi, suorum amantes, pacta observant, venationes diligunt, Musarum amantes, in administratione rei familiaris prudentes feminae formosae: imprimis morbos ex refrigeratione contrahunt. *a*)

§. 2. *Status Religionis et consvetudinis Daniae*, sunt qui ex monumentis Islandicis Danus

---

a) M. Adami opusculum de situ Daniae et reliquarum, quae trans Daniam sunt regionum, Lugduni Batavorum 1595. Martin. Zeilerus Descriptio nova Regnorum Daniae et Norvegiae ut et Ducatuum Slesvici, et Holsatiae, regionumque ad ea

nos ante *Christi* tempora floruisse contendunt alioquin in statu Ethnicismi more aliarum gentium idola coluerunt, praecipui Danorum Dii erant *Othinus*, *Thyr*, *Thor*, et *Frage*, a quibus dies denominati sunt; quo in statu prae omnibus gentibus piraticam exercebant Dani, quam in laude ponebant agriculturae securi; ingravescente autem annona, varias migrationes fecerunt, totamque fere Europam sub nominibus Cimbrorum, Gothorum, Longobardorum, Anglorum et Normannorum inundarunt. Prout autem regnante apud eos *Heroldo* ab *Ottone* M. Dani victi fuissent, ipse *Heroldus* rex primus Christianam fidem amplexus, ejus exemplo fere omnes ad fidem Christianam inducti sunt juxta a. Ch. 930. ad quos dein circa medium seculi decimi ab *Agapeto* II. Pontifice doctrinae propagandae gratia missus erat *Adalgo* Hamburgensis Episcopus; *a*) qui laetissimos suae praedicationis reportavit fructus; sed Dani in fide *Christi* imbuti circa an. 990. multum pati debebant furore *Svenonis Barbae Furcatae* qui gravissimus Christianorum perse-

spectantium. Amstelodami. 1655. Butgerus Hermannides. Descriptionem Daniae et Norvegiae edidit Amstelodami 1670. in. 12.

a) M. Adami. Hist. Eccl. Danorum. Lugduni Batavorum 1595. in 4. Item Haraldus Huitfeldus, Historiam Ecclesiae Daniae, Episeoporum et Religionis Christianae Scripsit, Hafniae 1655. in 4.

secutor erat; quo decedente, Ecclesiae Danicae restituta fuit pax. Sub *Canuto Sancto* varii Episcopatus sunt fundati, cujus tanta erat in clerum munificentia, ut ob statum Ecclesiasticum ditandum, decimas toti regno imposuerit promoveritque Episcopos ad summa regni munia; hinc Ecclesiastici tertium obtinuerunt ordinem in Statu Daniae, a quo tempore ad *Statum Ecclesiasticum* Daniae pertinebant: Archi Episcopus *Lundensis*, item Episcopus *Roeschildensis*, *Otthoniensis*, *Ripensis*, *Winburgensis*, *Arhusensis* et *Slesvicensis*, ad quem etiam ceteri Canonici referuntur; qui decimas in regno, quae tamen in diversis provinciis vario modo dividuntur, demidiam partem decimarum accipiunt Episcopi, dimidiam rex, aliquum Canonici et alii Parochi, pars etiam ad Ecclesias aedificandas contribuitur. Celeberrimus Episcopus fuit Roeschildensis *Absolon* qui circa 1170. initium fecit condendae Hafniae urbis, quae hodie totius regni metropolis est. Quantum ad Pontificium Jus attinet, in hoc regno semper nominationes et ordinationes Praelaturarum Episcopatuumque a Regibus collatae fuerunt, ut patet ex responso *Woldemiri* I. Daniae regis; quum videlicet Pontifex Romanus ordinationes et nominationes Episcoporum et alia similia postularet, Rex rescripsisse dicitur: *Regnum habemus a subditis, vitam a parentibus, religionem a Romana Ecclesia,*

clesia, quam si repetis, remitto per praesentes. Hinc sicut *Caroli V.* prudens decretum laudatur, quod in posterum Ecclesiasticae personae nullam rem immobilem coemere possint absqe Principum consensu: sic *Christianus III.* aequae prudenter constituit, ne Ecclesiastici aliquid vendant absque regis expresso mandato; alioquin Religiosi optime erant provisi in toto regno a *Christiano III.* rege. — Olim Ecclesiae Septemtrionales jurisdictioni Archi Episcoporum Bremensium sive Hamburgensium erant subjectae, sed tempore *Erici Boni* Regis, nova sedes Archi Episcopalis erecta est *Londini Scanorum*, cui reliqui totius Septemtrionis Episcopi suberant. Successive etiam Svecia et Norvegia suos optinuerunt Archi Episcopos, quo instituto quum multum de sua jurisdictione et auctoritate decedere existimaret Archi Episcopus *Lundensis*, tandem illis in compensationem a Romanis Pontificibus consentientibus Daniae regibus datum fuit, ut deinceps *Primates Svetiae et Legati Apostolici* nominarentur. Porro status Ecclesiae ante Reformationem in Dania etiam talis mansit, qualis in aliis regnis viguit, nempe Episcopi summas dignitates tenuerunt, erant illi communiter Cancellarii, Legati, saepe etiam Duces exercitus; Sacerdotes et Diaconi etiam sequebantur castra de lege regni tempore necessitatis, nam temporibus *Olai* regis in pugna inter caesos inventi sunt 5. Episcopi, et 60. Sacerdotes. Electio ad

ad officia Ecclesiastica olim a populo fiebat, et a Rege confirmatio; primus fuit *Jacobus Erlandi* qui a Pontifice Romano Archi Episcopus Lundensis fuit constitutus, a quo tempore dein vocari voluerunt *Apostolicae sedis Episcopi.* In Dania tantae erant divitiae Episcoporum, ut solus *Episcopus Roschildensis* 45. feuda teneret, alii etiam Episcopi dum ad Comitia proficiscerentur, centum et amplius armatis viris stipati iter susceperunt. Verbo tota Dania fuit Christiana, et illi solum Haeretici et irreligiosi aestimabantur, qui decimas rite non solvissent, quare etiam fulmine Ecclesiastico percutiebantur. Verum haec primaeva Religionis Christianae reverentia multum labefactata fuit per invalescentem ubique reformationem, nam ad avertenda sangvinolenta bella sub *Friderico I.* Liberum religionis exercitium Evangelicis concessum fuit, cujus successor *Christianus* III. antiquam Evangelii veritatem respuens, *Lutherii* profanas novitates amplexus, Cultum Evangelicae religionis publica auctoritate instituit, cujus vestigiis etiam successores ejus in hunc usque diem firmiter inhaerent. *a*)

---

a) Ad Reformationis Daniae Historiam lege Conradi Aslaci orationem de Statu Religionis in Dania ab anno 1517. ad 1621. cum Centum annorum Chronologia, quae latine prodiit Hafniae 1621. in 4.

§. 3. *Status Politicus et Forma Regiminis Daniae.* Status Daniae Politicus inde ab sui initio, ad nostra usque tempora commodissime considerari et dividi potest in quinque Epochas, quarum I. representat statum Daniae sub Ethnicis, usque an. Ch. 1014. II. Statum Daniae sub Regibus Christianis usque ad conjunctionem trium regnorum Borealium, seu a *Canuto M.* usque *Margaretham* ab an. 1014. usque 1387. III. Epocha exhibet statum Daniae ab unione regnorum, usque ad eorum dissolutionem ab 1387. usque exilium *Christiani* II. seu an. 1523. IV. Epocha statum Daniae ab Exilio *Christiani* II. seu initio Reformationis in Dania usque mutationem Formae regiminis sub *Friderico* III. ab an. 1523. usque 1660. Denique V. Epocha proponit statum Daniae sub Monarchis absoluta potestate gaudentibus inde ab an. 1660. usque ad nostra tempora. et quidem

I. Status Daniae sub Ethinicis regibus erat communis cum aliis gentibus, qui tamen prae aliis piratica exercebant, hinc necessitate saepe urgente varias migrationes diversis nominibus susceperunt, et ex Europaearum provinciarum praedis imprimis vitam sustentabant. Nullas habebant leges scriptas, ideo controversiae per duella ac usum ferri candentis decidebantur. Reges habebant magis ex procerum electione quam nativitatis successione, vetus eligendi consvetudo fuit per suffragia in aperto campo;

Regia

Regia sedes erat *Lethar* vulgo *Leire* in insula *Sielandiae* unde reges Daniae antiqui saepe vocantur *Reges Lethrarum.* Filios et fratres regum in alias provincias saepe ablegarunt, quum participes regni fieri nonpossent, inde tot expeditiones susceptae erant, ut alii etiam nobiliores et plebei loca aptiora et nobiliora adipiscerentur. Conditorem Daniae alii dicunt fuisse *Danum* quam ante Romam conditam regnavisse in Dania credunt. *a*) Alii vero ab Arca *Noe* deducunt, et *Gomerum* primum regem Daniae statuunt. *b*) Alii autem ex Islandicis monumentis *c*) affirmant paulo ante *Christi* tempora primum in Dania regnavisse *Schioldum* qui erat Inclytissimi Asiae Principis *Othini* filius, a cujus nomine sequentes Danorum Reges Ethnici *Skioldungi* vocabantur; cujus sub successore *Haraldo Blaatando*, multi Danorum ad Christi fidem conversi sunt circa a. Ch. 930. successor ejus *Sveno Barbae Furcatae* iterum terror Christianorum et Angliae domitor erat, quem excepit *Canutus M.*

II. Status Daniae sub Regibus Christianis inde a *Canuto M.* amplius salutaribus legibus illustrari coepit; quales leges sub *Canuto M.* notissimae sunt nomine *Gaards Raet*, sub *Magno*

---

a) Albertus Crantzius, Huitfeldius, Pontanus, et Meursius. *b*) Nicolaus Petrejus et Lischander Historiographus Danorum Regius. c) Tormodus, Torfaeus Islandus, et plerique Historici hanc hypothesin amplectuntur.

gno Bono rege autem erat lex lata *Norvegica* vulgo *Graa-Gaasen* dicta; sic sensim florentissimum evasit regnum Daniae sub *Waldemaro* II. qui condidit *leges Siellandicas* et *Scanicas*, sub quo nobilitas distinctam classem formare coepit. Tunc ordinata fuerunt Comitia, institutus regni senatus, cujus consensus in rebus majoris momenti requirebatur. Originem etiam huic Epochae debent summi regni officiales, uti *Regni Dapifer*, *Mereschalus*, *Cancellarius*. Interim sicut Dani nunquam Romanis aut Gallis subjecti erant, ita sequentes Germaniae Imperatores nullam in idem regnum sibi juris* titulum formare potuerunt; verum tamen non de erant Imperatores uti *Otto* I. et *Fridericus Barbarossa* qui Danorum reges ad homagium pendendum adigere meditabantur. Ceterum etsi jura et leges Danorum originem et incrementum *Waldemaro* I. debeant, tamen ante *Constitutionem Calmariensem* in jure publico Daniae omnia vaga et obscura erant, ubi primum singulorum jura describebantur.
III. Status Daniae per unionem trium regnorum florentissimum evasit: Nam *Margaretha* victo *Alberto* Sveciae rege mox Ordinum Conventum an. 1397. *Calmariae* indicens, ibi decreto publico sancitum est; ut Dania, Norvegia et Svecia semper deinceps sub unius tantum Regis imperio esset; qua constitutione trium regnorum possessio *Margaretae* firmata est adeo: ut Regum Septemtrionalium potentia vicinis

Euro-

Europae partibus gravis et formidabilis videretur. Verum specie potius quam re major erat ob intestinos quibus laborabat morbos, propter perpetua inter Danos et Svecos dissidia. Ceterum *Margareta* hac Constitutione *Calmariensi* insigniter illustravit Juspublicum Daniae, nam ante hanc legem, vix ex ipsis Historiis elici posset quae nam erat vera Regum potestas, aut ordinum jura; imo nec aperte demonstrari potest, an antea Dania, regnum Electivum aut Haereditarium fuerit, licet frequentes Capitulationes intervenerint, illae tamen pro ratione temporum aut restringebantur aut amplificabantur. *Calmariensis* autem Constitutio Formam regiminis rite ordinat, jura tam regum quam ordinum exprimit adeo: ut jus publicum Daniae ex hac tamquam ex vero fonte profluat. Sic Jus Regem eligendi, Proceribus regni et senatoribus attributum est juxta antiquam consvetudinem; coronanturque Reges *Hafniae* in Ecclesia B. Mariae V. in quam a regni Senatoribus ducuntur, quibus insignia Regalia praeferuntur; uti globus, ensis et Corona, dein debet Rex jurare se praescriptos articulos stricte servaturum, et Religionem Christianam, jura ac Consvetudines regni defensurum; dein ungitur ab Episcopo Roschildensi, et tunc primo a Senatoribus corona capiti imponitur, qui tunc Regi juramentum praestant. Quo ad populum quinque sunt *Status*, primus est *Regiae familiae* II. *Nobilitatis*,

in

inter quos nulli sunt Comites aut Barones, sed in antiquitate familiae ponunt honorem, qui omnes possident sua bona cum majori vel minori jurisdictione, liberam habentes venandi aut aucupandi potestatem in suis bonis. Omnia bona mobilia aut immobilia a parentibus accepta fratres aequaliter dividunt, ita tamen ex lege *Svenonis Barbae Furcatae* ut frater duas partes, Soror unam tantum accipiat: qua ratione ad primogenitum multa bona devenire nequeunt: possunt tamen aliqui per splendida matrimonia ad amplas possessiones pervenire. Ex hoc nobilitatis ordine eliguntur Senatores regni qui 24. sunt. Senatoribus honesta intertentio est defixa a Rege et Regno, habent enim singuli arces donec Senatoriam dignitatem tenent, de quibus nihil regi contribuunt, sed coguntur aliquot equites pacis et belli temporibus, intertenere et regi praesto esse; Legati splendide ex Fisco providentur. Rex habet praedia Regalia *Verlehninge* ex quibus bene de se et regno meritis providet. Nobiles coguntur alere aliquot equites, et ex suis bonis certam pecuniae summam singulis annis fisco solvere. Est etiam constitutio, qua Rex prohibetur emere bona immobilia a nobilibus; licet tamen Regi permutare bona cum nobilibus; e contra vero nobiles nulla bona possunt emere a regiis rusticis, nam rustici etiam aliqui habent sua bona haereditaria et libera. Ex hac nobilitate eligitur Praefectus, seu *Magister Aulae* maxi-

mum

mum in regno officium, est enim Regius Vicarius, dirigit reibublicae negotia sibi commissa. Ex iis eligitur *Mareschalcus* qui pacis et belli negotia procurat; *Admiralius* qui naves ad oceanum tutandum ordinat; *Cancellarius Regni* ad quem ex omnibus provinciis apellatur, ab illo vero ad Senatum Regni, vel ad ipsum Regem fit appellatio. Provinciae sunt divisae in *Haeret* seu dioeceses, sub quibus sunt Parochiae, ubi primum lites exortae de jure cognoscuntur, hinc licet ad judicem terrae apellare, dein ad Cancellarium, inde ad Regem et Senatores, ubi finalis sententia promulgatur. Habent jus scriptum compilatum a *Woldemaro* I. legi naturae conforme, parum a Romanis legibus discrepans, lata sententia mox exequitur. Si primi Judices iniquam sententiam tulerunt, in dimidiam partem bonorum condemnantur, cujus partem laesus accipit. Episcopos Senatoribus adhibuit *Woldemarus* I. quos iterum ob certas causas amovit *Christianus* III. In deliberandis gravissimis regni negotiis, Rex Concilium Senatorum indicit; sine quorum consilio Regi non licet novum tributum imponere seu nobilibus seu Rusticis. *Aerarii Paefectus* de omnibus regni proventibus rationes reddit. III. Status Regni est *Ordo Ecclesiasticus* cujus jura praecedenti paragrapho recensuimus. IV. Status est *Civium* et *Mercatorum* in urbibus et oppidis habitantium, qui peculiaria privilegia babent, his attributi

sunt

sunt agri et silvae limitibus circumductae, qui etiam mercaturam exercent in omnibus Europae partibus; ex his uti et rusticorum liberis imprimis eliguntur Episcopi, Canonici, Parochi, Urbium Senatores, Magistri, Scribae, navium gubernatores, teloniorum Praefecti: constituuntur etiam ad judicia minora, in quibus Praeses unus est ex nobilitate. V. Status est *Rusticorum*, quorum alii sunt *Freibunden* seu liberi coloni, qui possident agros haereditarios, a quibus tamen singulis annis aliquid solvunt, mercaturam etiam exercent, servitiis non opprimuntur, nec tributa solvunt, nisi necessitatis tempore ex decreto Senatorum. — Alii Rusticorum sunt qui non possident bona haereditaria, sed a Rege, nobilibus aut Ecclesiasticis personis ea conducunt, quibus Servitia praestare coguntur, pruout cum domino convenerunt. Ex his igitur patet Monarchiam Danicam optime esse constitutam, nemo enim tantis affluit opibus, ut se familiae Regiae opponere valeat, quoniam inter filios et filias aequaliter dividatur paterna haereditas; Hinc Daniae reges cum florente sua republica: externis hostibus facile resistere possunt.

IV. *Epocha ostendit statum Daniae ab unionis Calmariensis solutione usque ad Fridericum III.* A sejunctione enim regnorum, non parum auctoritas Regum detrimenti passa est, e contra vero potentia nobilitatis Danicae ad summum fastigium evecta erat; unde cuncti boni cala-

calamitosa tempora ominabantur; Reges enim non tam de Reipublicae salute ac civium tranquilitate erant soliciti, quam ut artibus omnibus recenter enatam Lutheri doctrinam tuerentur, in regnum inducerent, et lege publica firmarent, jurique Patronatus dudum desiderato modo renunciarent.

V. *Epocham figimus sub regimine Friderici III.* anno 1660. qui terminato bello Svecico, politicis mediis antiquam regiminis formam, qua Reges libere eligebantur restricta potestate; Status et ordines abrogando, jus haereditarium in Daniam cum absoluto Imperio induxerunt ita, ut ab unius regis arbitrio deinceps omnia penderent, neque potestas regia legibus humanis deinceps esset circumscripta. *a*)

§. 4. *Status Belli et memoria Pricipum Virorum Daniae.* De primis Danorum Regibus eorumque factis tanta est inter scriptores contentio, ut in oppositas sententias abirent, unde tres hypotheses invaluerunt nempe *Wulgata*, *Gothlandica*, et *Islandica: prima* ante Romam

a) Ad politicum Daniae statum faciunt haec opera: uti Respublica Daniae, Norvegiae, Holsatiae. prodivit Lugduni Batavorum. 1629. in 4. item occasione bellorum cum Svecia prodivit Jus Feciale armatae Daniae contra Sveciam. Hafniae 1657. in 4. Epistola de Daniae statu. Francofurti 1659. in 4. item Joachim. Hagemejerius, de statu Daniae, Norvegiae Sveciae. Francoforti 1678. Arnoldi Bernhardi. splendor Daniae et Norvegiae. Amstelodami 1655.

mam jam Daniam florentem censet. *Altera* plane a *Noemo* deducit. *Tertia* a *Schioldo Otthini* Asiae principis filio Ethnico derivat, a cujus nomine omnes ejus Ethnici successores *Skioldungi* Reges vocati sunt: qui etiam arcem *Lethram* in Siellandia condidit, quae procedente tempore regia sedes evasit. Post hunc inter Ethnicos reges potentissimus et maximus Legislator dicitur *Frotho Pacificus.* Post eum memoratur *Gormo Grandaevus* sub quo nonnullis Danorum innotescere coepit ope *Torkildi - Adelfaer* religio Christiana; ceterum tota historia, quae de Ethnicis regibus apud *Saxonem Grammaticum* existunt, adeo fabulis est involuta, ut veritate Historica omnino careat. Extra dubium tamen est Gentem Danicam fuisse jam olim bellicosissimam, et terra marique in profligandis hostibus felicissimam: nam Dani, Sveci et Norvegienses totam fere Europam magnis incursionibus vastantes, in nonnullis locis plane regna constituerunt variis nominibus, ut nota est *Cimbrorum* in Italiam expeditio; *Gothorum* Hispaniae subactio, *Longobardorum* regni in Italia erectio; *Normannorum* in Gallia habitatio; regni Neapolitani et Siciliae erectio, *Gedofredi* Daniae regis ethnici contra *Carolum M.* in Frisiam eruptio, qui etiam inter Daniam et Germaniam adversus hostiles incursiones magnum vallum *Dannewirke* dictum exstruxisse dicitur. His igitur omnibus missis, nos certio-

tiorem Danorum Regum successionem ab *Heraldo* rege deducemus sequentibus:

I. *Heroldus Blatandus* postquam civitatem *Julinum* in insula *Wollin* condidisset. Marchionem Slesvicensem interfecit, ob cujus caedem ab *Ottone* Imp. victus religionem Christianam suscipere coactus est circa a. 940. contra quem *Sveno* filius ad Gentilismum prolapsus bellum movit, quo in bello pater anno regni 50. occubuit. *a*) 980.

II. *Sveno Barbae Furcatae* non tantum patris sed et Christianorum persecutor magnam Angliae partem domuit; Vandalos etiam ob patrem persequebatur sed infeliciter, nam ab iis ter se redemit, quum semper lytri solvisset tantum quantum corpus ponderasset, semel auri, bis argenti: imo etiam ab *Julianensibus* captum, mulieres monilibus et gemmis redemerunt; quam munificentiam remuneraturus, mox sanxit; ut feminae antea a jure haereditatis exclusae, deinceps dimidiam partem haereditatis acciperent cum maribus: tandem ab *Erico* sveco regno deturbatus, obiit 1014. *b*)

Reges Christiani Celebriores.

III. *Canutus M.* Angliam ferro, Norvegiam vero arte et auro subegit, item subjugavit

a) Saxo Grammaticus. L. 10. *b*) Crantzius L. 3. c. 18.

vit Sveciam et Normanniam, fuitque *Henrici III.* Imp. socer, unde hi versus exstant: *Facta mihi Magni pepererunt inclyta nomen: Quinque sub Imperio Regna fuere meo. Me sibi delegit Socerum qui tertius orbis Arbiter, Henricus nomine, sceptra tulit. Justitia praeclarus eram, Regesque potentes subjectos docui legibus esse suis.* Verum haud duiturna fuit Danis possessio Angliae, nam ipse *Canutus M.* una cum filiis, *Haraldo* et *Harde Canuto*, 25. annis quidem regnavit, sed cum *Harde* cessavit Danicum in Anglia imperium. Legibus saluberrimis *Gaards Raet* dictis postquam regnum firmavisset mortuus est 1035. regna tribus filiis reliquit, uti *Sveino*, *Canuto* et *Haraldo.*

IV. *Canutus Harde* patri in Dania succedens mox *Orchades* insulas et Islandiam sibi subiecit, Angliam sub *Haraldo* vastavit. mortuus 1045.

V. *Magnus* cognomine *Bonus* Norvegiae rex, post mortem *Harde Canuti* Daniam subigens, Vandalos in Daniam irruptiones facientes maxima clade affecit, postea condidit legem Norvegicam *Graa Gasen* dictam. obiit 1049.

VI. *Sveno Estritius* cujus eximiam eruditionem et probatos mores maximis encomiis prosequuntur scriptores. *a*) mortuus 1074. Imperii 27. quem exceperunt tres filii ordine, uti *Heroldus* altero regiminis anno mortuus.

VII.

---

a) Adamus Bremensis.

VII. *Canutus sanctus* cujus eximia sunt in rem Sacram merita, tanta enim erat in Ecclesiam et clerum munificentia, ut propter eorum proventus, decimas toti regno imposuerit; quod insolitum tributum quam plurimi aegre ferentes in caput regis conspirarunt, quem etiam in Fioniam fugientem iu urbe *Ottoniae* trucidarunt: qui ob insignem in Deum pietatem in numerum Sanctorum relatus est, *Ottoniae* exstat Templum *S. Canuti.* Huic successit 1085. *Olaus* qui decimo imperii anno obiit.

VIII. *Ericus III. Bonus*, novam Ecclesiae Danicae divisionem instituit eximendo Ecclesiam Danicam a Jurisdictione Archiepiscoporum Bremensium, quibus hactenus subordinata erat; constituens proprium Archiepiscopum *Londini Scanorum.* Et postquam piratas capto *Julino* profligavisset, ex qua urbe munitissima foedas hostilitates exercuerunt, mox in terram Sanctam profectus, in Cypro insula mortuus est a. 1102. Cui domi successit *Heroldus VIII.* alias *Nicolaus* dictus, qui post diuturnum 33. annorum regimen, dum Slesvicenses sibi conciliare conaretur, in regia cum Praetorianis caesus est a. 1135. et Regnum accepit *Ericus IV.* quem quarto regiminis anno excepit *Ericus V.* qui a. 1147. mortuus est, post quem duo reges in Dania regnabant, *Canutus V.* et *Sveno IV.* illi *Juti*, huic *Selandi* et *Scani* parebant: verum uterque contra gentiles Slavos infeliciter pugnavit; tandem *Sveno* a. 1155. *Canutum* interemit,

hic

hic vero opera *Waldemari* per Jutos trucidatus est. 1157.

IX. *Waldemarus I. Magnus* dictus quod Daniam longo tempore bellis internis et externis misere vexatam, profligatis partibus, florentissimam reddiderit: nam per *Absolonem* Archiepiscopum Rugios et Vandalos domuit; ipse vero Slavos piratica exercentes expugnans, eorum ducem *Niclotum* in summas angustias redactum Christianam religionem assumere coegit; postea *Julium* evertens, *Gedani* seu urbis *Dantzig* fundamenta posuit. In majus Civium emolumentum leges *Sielandicas* et *Scanicas* condidit; sub eo tamen nobilitas Daniae emergere, distinctamque classem formare coepit. Post haec 28. regiminis anno mortuus est, a 1185. *a*)

X. *Canntus VI.* virtutibus paternis praeditus, Slaviam pleramque ditioni suae subjecit; partem Saxoniae cum *Hamburgo* et *Lubeca* urbibus per fratrem *Waldemarum* subegit; Vandalos navali proelio adeo contrivit, ut eorum Principes semet Danorum beneficiarios profiterentur. Cujus tamen Regis Soror *Ingeburgis* repudiata a *Philippo Augusto* Galliae rege, tan-

a) Saxo Grammaticus Historiae Danicae Libri 16. cum notis prodivit Sorae. 1644. hanc in rem testatur L. 14. Albertus Cranzius Chronicon Regnorum Aquilonarium Daniae, Sveciae, Norvegiae scripsit Francoforti 1583. fol. hac in re dicit. L. 6. c. 28. Olaus Wormius, ex Codice Runico, Regum Daniae Series. etc. Hafniae. 1642.

tantas turbas concitavit ut tota Gallia sacris interdicta esset. *Canutus M.* obiit. 1202. *a*)

XI. *Waldemarus II.* a relatis multis victoriis dictus est *Victoriosus,* nam victricibus armis Esthoniam, Livoniam, Curlandiam, Borussiam, Pomeraniam, Mecklenburgum, Holsatiam, Stormariam, Ditmarsiam et partem Brandeburgici Marchionatus in suam potestatem redegit. Magistrum Templariorum in Livonia adversus barbaros juvit, et ibi *Revaliam* urbem condidit. Verum ab *Henrico* Suerionensi Comite, quod pudicitiam uxoris ejus violasset, captus et in squalido carcere detentus, interea maxima pars subactarum civitatum defecit; et dum tertio anno duris conditionibus, et 35. argenti talentis e custodia redemptus, amissa recuperare, injuriamque ulcisci vellet, in proelio ad *Bornchoviam* victus pacem inire coactus est. Erat maximus Legislator, qui *Leges Juticas* hodie etiam apud Slesvicenses florentes condidit, usum ferri candentis abolevit, et reos solis testibus absolvi aut damnari statuit, mortuus 1242. *b*)

XII. *Ericus VI.* prioris filius, dictus *Plogpenning* quod tributa aratris imposuerit, post diuturnas cum fratribus contentiones, et bella civilia inde conflata, tandem octavo regi-

O minis

a) Arnoldus Lubecensis L. 6. c. 9. 10. Abbas Stadensis in Chronico. *b*) Crantzius. L 7. Hist. Daniae, c. 19. Chytraeus. part. 1. Saxon.

minis anno a fratre *Abele* in mari submersus misere periit 1250. cui successit fratricida *Abel*, altero statim regiminis anno a Frisonibus quos variis exactionibus offenderat, bellum gerens infeliciter occisus est. 1252.

XIII. *Christophorus III.* nonnullos Cleri abusus sufferre volens, dum *Jacobum Erlandum* Archi Episcopum Lundensem ob contumaciam carceribus mancipavisset, ab aliis Daniae Episcopis, vigore Constitutionis nuper in Synodo *Vedelensi* latae, et a Pontifice adprobatae, Sacris interdictus est; his non obstantibus demum ab *Arnfasto* Episcopo Arhusiensi, sub specie Eucharistiae e medio sublatus est septimo regni anno, seu 1259.

XIV. *Ericus VII.* infelici successu bella diuturna gessit cum filiis *Abelis* regis, nam in acie captus, et triennali carere detentus, ubi libertatem recuperavisset, cunctis ob crudelitatem invisus, tandem a quibusdam proceribus in vico *Finderup* ad *Viburgum* noctu proditorie 56. vulneribus confossus anno regni 27. interiit 1286.

XV. *Ericus VIII. Mendvedius* dictus, inter optimos Daniae reges numeratur, gravem tamen et diuturnam contentionem habuit cum Archiepiscopo Lundensi *Joanne Grand* quem captivum diu tenuit, quare etiam fulmine Ecclesiastico ictus, humili deprecatione Pontificis iram placare debuit. Fecit hic collectanea quodam ad Historiam Danicam ex Archivis regni

quae

quae *Congesta Mendvedii* dicuntur. Mortuus est anno regni 35. seu 1321.

XVI. *Christophorus II. Rostochium* Megalopolitano restituit, Regiam juri Danorum asseruit, demum ob crudelitatem proceribus invisus, regno pulsus, *Slesvicensem Waldemarum* interea ducem creatum infensissimum hostem accepit, qua tempestate tantae calamitates in Daniam invaluerunt, ut provinciae regni inter Proceres et Comites Holsatiae instar mercium venderentur, quare etiam Rex postquam deturbatoribus suis 80. millia marcarum argenti et Silvam Danicam promisisset, throno restitutus fuit: quo demum anno 1333. mortuo, secutum est interregnum septem annorum, quo jugi Holsatici pertaesi proceres *Waldemarum* defuncti regis filium in aula *Ludovici* Bavari Imperatoris educatum in regnum reduxerunt. *a*)

XVII. *Waldemarus. III.* regnum paternum obtinens, labefactatam Danorum rem feliciter restauravit, gravia bella gessit cum Hanseaticis civitatibus, Holsatiae comites partim vi, partim pecunia pacavit. Slevicensem tractum sibi subjecit, *Scaniam* Svecis extorsit. *Estoniam* Equitibus Teutonicis vendidit 18. millibus marcarum argenti, quam summam maxima ex parte in expeditione Sacra consumsit. Pomeraniae duces sibi conciliavit, et *Marga-*

a) Idem. ibid. Joan. Petri in Chronologia Holsatiae part. 2. Crantzius. L. 7. Hist. Daniae c. 30. 31.

retam filiam nuptui dedit *Haquino* Norvegiae et Sveciae Regnorum haeredi, quo matrimonio fundamenta posita sunt subsecutae unionis trium regnorum: quibus actis moritur *Waldemarus III.* 1376. *a*)

XVIII. *Olaus* natus ex *Margareta* defunti regis filia et *Haquino* Norvegiae rege, qui in ipso juventutis flore mortuus erat; cujus dein Mater *Márgareta* Daniam obtinuit.

XIX. *Margareta* Regina celebrem epocham in Historia Danorum constituit, nam sub ea tria regna septemtrionalia in unum imperium coaluerunt; posteaquam enim *Albertum Svecum* e sorore filium Norvegiam et Daniam appetentem felici pugna profligavisset, mox 1397. *Calmariae* Conventum ordinum indixit, ubi Statuum publico Decreto sancitum erat, ut Dania, Norvegia et Svecia deinceps semper sub unius imperio esset, qua constitutione possessio trium regnorum *Margaretae* firmata est, quam etiam latis suis institutionibus sapienter administravit usque a. 1412. *b*)

XX. *Ericus Pomeranus Margaretae* sororis ex filia nepos, ordinum consensu trium regnorum

---

a) Idem. ibid. Ericus Vpsalensis L. 4. Michael Laetus. Francoforti. 1574. in 4. Olaus Wormius. Hafniae. 1642. in 4. *b*) Erasmus Mich. Laetus, Margareticorum libros 10. scripsit de conflictu inter Margaretam Daniae reginam et Albertum Sveciae regem Francoforti 1573. in 4. cujus Historiam etiam adornavit Christianus Cilicius, Basileae 1570. in 8.

gnorum consors declaratus, difficillima et diuturna bella gessit cum Slesvicensibus Ducibus, cum Hanseaticis civitatibus, item cum rebellantibus Svecis duce *Engelbrechto*, qui ejus regimine haud erant contenti, ex quibus turbis vitae suae metuens, inde in Germaniam fugit, ubi per plures annos piratica exercebat, quare Dani eidem obsequium renunciantes, regnum quod sex annis anarchia lacerabatur, detulerunt *Christophoro* Bavariae duci 1438. ipse vero *Ericus* relictis regnis in Pomeraniam rediens, ibidem amplius 20. annis *a*) vixit.

XXI. *Christophorus* Palatinus Rheni et Bavariae Dux successor *Erici*, sedem Regiam *Hafniam* constituit, et exacto decennio moritur 1448. post cujus mortem Dani sibi Regem eligere solebant ex Stirpe *Oldenburgica*.

XXII. *Christianus I.* Comes *Oldenburgicus* ex commendatione *Adolphi* Slesvicensis ad regnum Daniae vocatus, qui etiam post mortem *Adolphi* sine haerede decedentis, Slevicensem Ducatum et Holsatiae Comitatum regno adjiciens multum Daniae regnum amplificavit; Ditmarsiae etiam possessionem a *Friderico III.* Imp. fiduciariam accepit. Verum difficile habuit regni initium, Sveci enim alium regem *Carolum Canuti* elegerunt, unde coorto bello, quum *Carolus* superba sua dominatione Proceres et Clerum

---

a) Ericus Vpsalensis L. 5. Crantzius. L. 8. Daniae. Chythraeus. Saxon. part. 1.

Clerum offendisset, a *Joanne Bengtsonio* Archiepiscopo Upsaliensi ad regnum abdicandum compulsus in Borussiam fugit, et tunc a. 1457. *Christianus* Sveciae Rex est inauguratus; sed brevi reverso cum copiis *Carolo* bellum recruduit, quumque *Christianus* rebellantes Svecos componere vellet, ad *Stockholmiam* victus, postquam Universitatem Hafniensem fundavisset mortuus est 1482. successit ei filius

XXIII. *Joannes* deficientes Svecos omnimode ad renovandam Calmariae unionem commovere conabatur, qui tamen duce *Stenone Sture* qui *Carolo* successerat continuo reluctabantur, donec *Stenone* pulso Sveciam vi sibi subjecisset; sed brevi a *Svantone Sture* armis lacessitus, multisque proeliis victus, demum decretorio proelio ad *Dalekarliam* commisso, victor regnum Sveciae occupavit; qua victoria animatus *Joannes*, Ditmarsios qui Holsatorum imperio se eximebant subjugare tentabat, verum ab iis tanta clade affectus est, ut ipse aegre fuga vitam salvare poterat; infelicem belli exitum Sveci inaudientes mox denuo in regem consurexerunt, quos *Joannes* bello cum Lubecensibus distentus in ordinem redigere non potuit. Mortuus est. 1513.

XXIV. *Christianus II.* bello contra Svecos continuato feliciter Sveciam occupavit, eorum ducem *Stenonem Juniorem* trucidavit, utque omnes rebellionum nervos succidere possit, *Holmiam* victor intrans, solemniter Sve-

ciae

ciae Rex inauguratus, brevi signo dato praecipuos Sveciae proceres comprehensos contra fidem datam obtruncari curavit 1520. relictis per triduum eorum cadaveribus ante praetorium; ob quam crudelitatem alter *Nero* dictus, a Svecis non tantum ipse pulsus, sed sub auspiciis *Gustavi Erici* insurgentes, Danos omnes e Sveciae finibus ejecerunt. Hinc ipsis etiam Danis admodum invisum erat *Christiani II.* imperium, imprimis ob fastum *Sigbritae* (quae erat mater pellicis *Duveckae*) ad cujus nutum Rex etiam potentiam nobilitatis succidere conabatur, ideo primo Cimbri obsequium ei renunciarunt, dein a *Friderico Holsato* patruo volentibus regni ordinibus, anno imperii decimo regno exutus fuit; ac cum Uxore et liberis in Belgium profugit; qui dum a *Friderico* novo jam electo rege, auxiliis soceri sui *Caroli V.* regnum recuperare intenderet, in Norvegia captus, 27. annorum carceri inclusus primo *Sunderburgi* in Alsatia, dein *Calundburgi* in Sielandia, in qua custodia jam qua senex 1559. obiit. Sub eo Batavorum colonia in Daniam evocata insulam *Amagriae* incolere coepit. *a*)

XXV. *Fridericus I.* Dux Holsatiae, pulso in exilium *Christiano II.* a Danis et Norvegis rex

a) Thuanus. L. 1. et 22. Hist. Chytraeus in Saxon. Olahus Wormius in Fastis Danicis, Hafniae 1643. in 4. Joannes Svaningus in Chronologia Danica, Christianus Cilicius, et alii.

rex electus 1523. quo tempore Sveci jugum Danorum excutientes, deinceps propriis et independentibus regibus paruerunt, quo facto unio *Calmariensis* soluta est. *Fridericus* hic *Christianum* exulem ope affinis Caesaris *Caroli V.* subnixum regnum repetentem profligavit, cepit et carceribus mancipavit; qui ut regnum sibi amplius firmaret liberum religionis exercitium Evangelicis concessit, ejusque conniventia, potentia nobilitatis Danicae ad summum fastigium evecta est: qui exacto decennio obiit 1533.

XXVI. *Christianus III.* filius *Friderici* multa adversa initio statim tolerare debuit, nam Episcopi aliique proceres cum Lubecensibus duce *Christophoro Oldenburgico* Comite *Christianum* regem restituere nitentes, magnas turbas imo et bellum causarunt, sed *Christianus III.* brevi victor evadens *Hafniam* et *Malmogiam* Urbes recepit, pacem civibus restituit, Episcopos deturbavit, in quorum vindictam cultum Evangelicae religionis publica auctoritate intorduxit, collapsam Universitatem restituit, cum vicinis principibus et civitatibus foedera renovavit, sicque mortuus est 1559.

XXVII. *Fridericus II.* initio statim imperii ignominiosam cladem aetate *Joannis* regis in Ditmarsia acceptam vindicaturus, bellum Ditmarsis intulit, quam etiam hostilem gentem brevi perdomuit. Bellum Septennale cum Svecis viriliter gestum, tandem celebri pace *Stetinensi* 1570. pro maxima Danorum utilitate et

gloria

gloria confecit. Hic Literarum et Literatorum amantissimus Fautor Rex obiit 1588. *a*)

XXVIII. *Christianus IV. Friderici II.* filius tria celeberrima gessit bella, uti *Svecicum* cum *Carolo IX.* rege, quo Calmaria, Elsoburgum aliaque Sveciae loca munitissima expugnata in Danorum venerunt potestatem, quae tamen pace *Siodorensi* 1613. pro ingenti pecuniae summa restituta sunt Svecis. Brevi bellum *Germanicum* erupit 1623. quoniam Saxoniae Principes Protestantes ab Imperatore pressi ducem sibi *Christianum IV.* elegissent; sed ingenti clade ad *Lutream* accepta, pacem cum Imperatore *Lubecae* 1629. inivit, qua omnia ante hac occupata utrique restituebantur. Tertium bellum gessit iterum cum *Svecis* qui dum 1643. Germaniam hostiliter devastassent, etiam in Holsatiam et Jutlandiam subito irruptionem fecerunt; quo tristissimo bello fere peritura erat Dania, nisi imperterriti regis constantia rem restituisset pace *Bromsebroae* inita 1645. ea conditione ut *Jemtiam* et *Oisiliam* Svecis resignarent, *Gothlandia* vero in 30. annos iisdem pignori daretur. Atque sic Rex licet bello infelix, ob insignes tamen animi dotes, inter maximos reges numerandus 1648. mortuus est, imperii anno 60.

XXIX.

---

a) Joannes Svaningius Chronologia Danica, de bello Ditmarsico 1559. commisso.

XXIX. *Fridericus III.* Communi Danorum voto rex electus, *Carolo Gustavo* Svecorum regi bellum omnino infelicissimum intulit, nam Sveci opinione celerius constricto glacie mari in Sielandiam irrumpentes, Danos ad insperatam pacem *Roeschildensem* 1658. ineundam compulerunt; cui demum paci haud conquiescentes Sveci, expugnato Coronaeburgo, ipsam etiam metropolim 1659. obsidione cinxerunt, quam tamen accepta clade solvere compulsi pacem *Hafniae* 1660. iniverunt: vi cujus Dani amiserunt Scaniam, Hollandiam, Blekingiam, et Bahusium. Quo infelici bello terminato, forma regiminis mutata est, nam haereditarium jus cum absoluto imperio Regi delatum est ita, ut deinceps ab unius Regis arbitrio dependerent omnia, a quo itaque tempore invaluit Monarchica regiminis forma. *Fridericus* vero obiit 1670.

XXX. *Christianus V.* Imperium amplificavit adjiciendo duos Comitatus uti *Oldenburg* et *Delmenhorst*, quoniam *Antonius Guntherus* ex Comitum *Oldenburgicorum* familia 1667. decessisset, sic dein inita cum Imperatore, item Batavis eorumque foederatis armorum Societate, bellum Svecis intulit; quod anno quarto seu 1679. pace *Londini Scanorum* confectum est, licet Dani terra et mari insignes victorias et urbium expugnationes retulissent duce *Nicolao Juel*, tamen vigore pacis omnia loca bello occupata Svecis reddita sunt. Hic rex in proemi-

um

um Virtutum exhibitarum aut deinceps exhibendarum erga regem et patriam, instituit duos Equestres ordines, nempe *Elephantinum*, et *Dannebrogicum*, quos ordines optime meritis viris Reges conferre solent. Condidit insuper etiam Legem *Danicam* et *Normannicam*; quibus perfunctus obiit 1699.

XXXI. *Fridericus IV.* paternum regnum maximis turbis involutum obtinens, licet politicis mediis omnes componere intenderet, controversiae tamen adhuc inter ejus patrem et Principem Holsatiae enatae, nunc in apertum bellum eruperunt 1700. unde ipsum regiminis initium, nimis affligendum Imperium pollicebatur, eo a fortiori quod jam ipsa Regia urbs a tribus potentissimis hostibus in auxilium Holsatiae Duci excubantibus obsessa teneretur; quorum tamen molitiones prudenter avertens, pace *Traventhalensi* inita, etiam subditis tranquillitatem procuravit; ad quam amplius conservandam, militiam stabilem ordinavit; bellumque a Svecis 1709. indictum, ancipiti fortuna gestum, tandem 1720. pace *Fredensburgensi* magna nominis Danici gloria terminavit et ipse Rex decessit 1730.

XXXII. *Christianus VI.* pacis amans princeps curas suas in omnem reipublicae partem convertens, religionis Evangelicae magnus protector, metropolim amplissima regia ornavit, utrumque regnum imprimis mercaturae cultura illustravit fabricas varias erigendo, in quibus

lana,

lana, ferrum, cuprum, Chalybs et alia elaborarentur; in Norvegia vero erecta societas, a mercibus pice, resina, et pulveribus pyriis celebris evasit. Eo regnante etiam bonae artes et scientiae refloruerunt. obiit 1746.

XXXIII. Fridericus V: paternis institutis insistens, subditos incomparabili amore prosecutus, iis liberum mercatum permisit, Scientiarum societati Equestrem Academiam addidit, militiam auxit, eximiisque fundationibus positis; res etiam maximas feliciter perfecit: mortuus est 1760.

XXXIV. *Christianus VII.* ex malevolo consilio Comitis *Struensee* Senatum aulicum abrogando, omnem reipublicae administrandae curam eidem Comiti detulit, qui potestate in nobiles et aerarium abusus, de crimine convictus una cum socio *Brand* mortis paenam 1775. subivit. Dein rex habito cum *Paulo* Rusiae magno Duce consilio, omnes antiquas controversias de Slesvico et Holsatia composuit; vi cujus conventionis *Holsatia* cessit Danis, Comitatus vero *Oldenburg* et *Delmhorst* Russis, quos comitatus Ducis titulo mox Russus concessit *Friderico Augusto* Episcopo Lubecensi tamquam *Gottorpiensis* haeredi. *Christiani* regis filius *Fridericus* 1784. in consortium imperii assumtus, post quatuor annos auxilium tulit Russis foederatis contra Svecos, sed pacem sibi oblatam brevi probavit. Erumpente autem Gallicana revolutione, licet neutri parti *Christianus* rex ad-

hae-

haesisset, novae tamen reipublicae legationem acceptavit; foedusque contra Anglos inivit cum Russis, Borusso et Svecis; tandem sublatis omnibus controversiis, mercatum cum mancipiis sustulit. Cessante Imperio Germanico, Ducatum Slesvicensem et Holsatiam Daniae adjecit, mercaturam florentiorem reddidit, demum quum partes Gallorum sequi videretur, Angli Selandiam 1807. hostiliter invadentes, classem etiam Danorum captam in Angliam miserunt, quo ex facto, manifestum armorum foedus cum *Napoleone* inivit, sed eodem anno 1808. mortuus est: cui successit filius.

XXXV. *Fridericus VI.* paternum foedus cum *Napoleone* initum, ne quidem in summa ejusdem armorum infelicitate frangere volens, Anglos et Russos adeo in se concitavit, ut eidem Norvegiam abjudicarent, et Svecis concedendam decernerent: unde bellum inter Danos et Svecos enatum, pace *Kielensi* 1814. ea lege finitum est: ut a Svecis pro Norvegiae concessione, Dani acciperent Pomeraniam Svecicam, et unum millionem Thalerorum; item contra *Napoleonem* 10. mille milites statuerent. Verum terminato bello Gallico, Pomeraniam debuit cedere Borusso, et pro ea obtinuit regiones Lavenburgicas ad Holsatiae fines.

§. 5. *Status Literarum et Artium in Dania.* Primis Danorum temporibus artes liberales ignotae erant, *Runicis* enim Characteribus utebantur, quos nonnulli antiquissimos esse credunt;

dunt; ab aliis autem antiquiores dicuntur Characteres Gothici, quorum primus omnium inventor erat a. Ch. 370. *Ulphilas* Gothorum Episcopus. Successive inducta ad Danos religione Christiana, literarum Status hic quoque idem erat, ac in aliis Europae regnis; floruerunt que seculo jam XII. illustres viri, uti *Absolon* Archiepiscopus seculi hujus decus atque ornamentum. *Esbernus Snare*, *Saxo Grammaticus*, qui Historiam Danicam scripsit, *Sveno Agonis*, *Wilhelmus Abbas* et alii. Successive scholae particulares multis in locis erant erectae, etiam in Islandia duae, ubi etiam habent propriam typographiam. In toto regno duae sunt Academiae, una *Hafniae* seu *Copenhagae* quae fundata est a *Christiano I.* anno 1478. qui a Pontifice *Sixto* IV. accepit potestatem condendi Universitatem *Hafniae*; quam *Fridericus II.* rex licet bello septennali Svecico implicitus esset, tamen novis privilegiis ornavit, ejusque proventus 60. millibus thalerorum auxit, quo facto studia bonarum artium caput non mediocriter extulere, sub quo floruit *Tycho Brahe* Inclytissimus Danorum Astronomus. Altera Academia fuit *Sorae* aeque celebris, ex quibus prodiverunt Viri insignes, qui scriptis suis utilissimis Daniam ornarunt, quorum exemplis incitati sequentibus etiam seculis ad nostram usque aetatem, accedente Principum munificentia, Mercaturae, bonarumque artium culturam pro virili promovent. Erantque Scriptores varii, qui

Geo-

Geographiam Daniae illustrarunt uti M. *Adami* Lugduni Batavorum. 1595. *Martinus Zeilerus* Amstelodami 1655. *Rutgerus Hermannides* Amstelodami. 1670. *Joannes Coldingensis* Slesvici 1584 *Joannes Stephanius* Lugduni Batavorum, 1629. *Joan. Isac Pontanus* Amstelodami 1631. Alii antiquitates Danicas scripserunt uti: *Olaus Wormius* Hafniae 1651. *Godofred. Masius* Hafniae 1688. *Otto Sperlingius* Hafniae 1694. *Thomas Bartholinus* Hafniae 1689. *Joannes Lyschander* Hafniae 1642. *Daniel Langhornius* Londini 1673. Alii Historiam Daniae scripserunt uti: *Joannes Svanningius* et *Sveno Agonis* ap. *Stephanium* Sorae 1642. *Saxo Grammaticus.* Sorae 1644. *Albertus Crantzius* Francofurti 1583. *Erasmus Michael Laetus* Francofurti, 1574. *Haraldus Haitfeldus* Hafniae 1655. *Joan. Isacius Pontanus* 10. Libris Historia Danica Amstelodami 1631. *Joannes Meursius.* Amstelodami 1638. *Vitus Beringius,* Ottiniae 1698. *Thormodus Torfaeus* Hafniae 1702. *Ericus Pomeranus* Hamburgi 1603. Alii Familiam Oldenburgicam Scripserunt uti *Otto Schmidius* alias *Fabricius* Slesvigae 1581. *Thomas Pavelsen* Hafniae 1656. *Jacobus Gersovius* Slesvigae 1639. *Vitus Beringius* Hafniae 1670. Alii Chronologiam scripserunt uti: *Andreas Vellejus*, *Olaus Wormius* Hafniae 1643. *Christianus Cilicius* Basileae 1570. Alii de Norvegia scripserunt uti: *Petrus Claudius* Hafniae 1632. *Janus Martinus* Hafniae 1594. *Laurentius Wolfius* Hafniae 1652.

Alii

Alii Politicum Statuum Daniae descripserunt uti: *Joannes Hagemejerus* Francofurti 1678. *Arnoldus Bernhardinus* Amstelodami 1655. *Juarus Hertzholmius* Hafniae 1662. Alii Historiam Ecclesiasticam reliquerunt uti: *Haraldus Huitfeldus*, Hafniae 1655. *Conradus Aslacius* Hafniae 1621. etc. etc.

Caput VI.

Exhibens Historiam Svecorum.

§. 1. *Statistico Geographica notio Sveciae.* Regnum Sveciae antiquum est, cujus meminit etiam *Plinius*, ab occidente habet Norvegiam, a Septemtrione Lappiam, ad orientem Finlandiam, ad meridiem Gothiam. Omnium regionum semptemtrionalium est fertilissima, habet enim et fodinas plumbi, ferri, aeris et argenti, Silvas feris divites, dupploque superat Norvegigiam amplitudine, fertilitate et agri bonitate. Dividitur in varias provincias uti Ostgothiam, Vestgothiam, Smalandiam, Meringiam; Oplandiam, Westmanniam, Nortbotniam, Westbotniam, Lapponiam, Biarmiam Finlandiam, ubi Natagundia, Savolosia, Tavastia regiones late pa-

patentes sunt, dein Carelia, Votichonia, Ingria, Alantacia: item variae insulae quibus potentia Svecorum sensim crevit. Urbes numerat complures, quarum metropolis est *Stocholmia* emporium nobile et sedes regia, arte et natura munita, est enim sita in paludibus instar Venetiarum. Aliae urbes etiam celebrantur, uti Lincopia, Scara, Vexio, Borgholm, Vpsalia sedes Archiepiscopi et Scholae publicae: etiam Fluviis et rivulis gaudet plurimis, praecipui sunt *Lusen* et *Dalecarlia*, regio alias est montibus aspera, jam olim per indigenas reges fortiter defensa, et plurimis seculis amplificata, tandem ad Reges Daniae devenit, sub quibus centum et amplius annos erat, tandem specioso titulo Svecia, non servatarum legum in coronatione juratarum, jugum excutiens nimium fluctuavit, hodie propriis Regibus paret. Incolae si cum Germanis conferantur, si etiam minus Civilitatis, certe industriae et ingenii praestant, quoniam eorum rustici omnes opificia et artes mechanicas eximia diligentia exerceant *a*) cum mercatura.

§. 2. *Status Religionis et consvetudinis.* Sveci antiquissimis temporibus una cum aliis Germanicae originis populis, falsorum Numinum cultores erant, tandem cum Danis opera *Ans-*

P *garii*

---

a) Martin. Zeilerus in descriptione Sveciae, Amstelodami 1651. Michael Vexonius, in descriptione Sveciae, Aboae, 1650. optime Radgerus Hermannida, in historico Geographica descriptione Sveciae, Amstelodami 1671.

garii Corbejensis Monachi postea Episcopi Hamburgensis, temporibus *Ludovici Pii* seculo nono ad fidem Christi pervenerunt, sed postquam Dani *Haraldum* regem baptisatum rebellione filii sui *Svenonis* occidissent et fidem ejurassent, Sveci quoque mox ad vomitum redeuntes *a*) suum regem *Olaum Tretelgam* ad Christianam fidem conversum, idolo Upsaliensi immolarunt, quo cum Diis suis 99. homines, 99. equos, 99. Canes, 99. gallos pro more suo sacrificare perrexerunt. Verum ubi Dani ab *Ottone Magno* victi fidem Christi iterum suscepissent, eorum exemplum imitati sunt etiam Sveci, Norvegi, et Livones conterminae gentes; quam Religionem continuo profitebantur usque ad *Gustavum I.* qui Religionem Romano Catholicam penitus abolevit, doctrinamque Evangelicam publica lege sancivit an. 1528. a quo tempore sola religio Lutherana secundum confessionem Augustanam ad hunc usque diem in Svecia floret.

§. 3. *Status Politicus et Forma regiminis Sveciae.* Historia Svecorum commodissime in tres Epochas dividi potest, *prima* continet Reges Ethnicos, *secunda* Christianos, *tertia* Lutheranos. Sub Ethnicis viguit Monarchia sed libertate allodiali limitata, nam Svecia tota erat divisa inter minores Principes et Nobiles, qui proprietatem terrarum continuerunt, hinc frequentes contentiones inter eos et Reges orieban-

---

a) Saxo Grammaticus. L. 9.

bantur. Interim certiora sunt ea quae in Epocha Christianorum Regum evenerunt inde a primo Rege Christiano nempe *Olao Tretelga* seu ab 853. usque *Gustavum I.* seu 1528. ab eo enim tempore Regalis dignitas more Christianorum amplius erat firmata, qui Reges seculo X. *Reges Upsalenses* dicebantur, seculo XI. titulus Sveciae et Norvegiae regis invaluit, et Reges successive *Holmiae* habitare coeperunt. *Magnus Ladelaas* rex ad finem seculi XIII. se *Regem* etiam *Gothiae* appellari voluit. Ita propriis regibus gubernabatur Svecia usque ad *Margaretam* Daniae reginam, quae a. 1397. convocatis trium regnorum Septemtrionalium Ordinibus, Sancita *unione Calmariensi* Daniam, Norvegiam et sveciam in unum corpus redegit, quae regnorum unio licet saepius interrupta, duravit usque annum 1523. quo *Gustavus I.* tamquam libertatis Svecicae vindex et assertor, palam Rex Sveciae declarabatur, regnumque in *Gustavianam* haereditario jure transferebatur. Hinc Sveci, qui antea omnem gloriam in solis armis locaverant, experientia tristi didicerunt, facile mobilitate fortunae, bello acquisita amitti posse; ideo serio ad pacis artes animum flexerunt; et quantum olim in dilatandis finibus erant distenti, tantum hodie occupantur in studio artes, literas et mercaturam promovendi, mediaque apta excogitandi, quibus necessitates expleantur, vulnera republicae sanentur, quae cruentissimorum bellorum consectaria erant; ita

sublatis contentionum motivis, quae Septemtrionalium regnorum almam pacem, et subditorum tranquillitatem tantopere turbaverant, mutatis ex toto animis, salutaria pacis consilia amplectenda, firmamque amicitiam Danos inter et Svecos nectendam conversi, tute per navigationem, artium variarum culturam ac mercaturam, ea quae ad vitae commoditatem et utilitatem spectant solerter procurant; et licet forma regiminis Monarchica sit, ea tamen est valde limitata, nam Majestas residet in Comitiis, quae quatuor regni Ordines constituunt, nempe Proceres, Nobiles, Ecclesiastici, et Plebei. Inter nobiles summus est *Eques auratus*, a rege virtutis gratia solenniter creatus. Praefecturae etiam per indigenas administrantur. *a*)

§. 4. *Status belli et memoria Principum Virorum.* Ea quae scriptores rerum Svecicarum de origine ac Regibus Sveciae antiquissimis narrant, omnia incerta et obscura sunt: nam hi in texendo Regum Cathalogo videntur omnes *Saxonem Grammaticum* imitatos fuisse, qui longe plures reges ac erant in seriem deduxerunt, ne Danis in antiquitate quidpiam cedere videantur. Ex Regibus Svecorum circa an. Ch. 855. me-

a) Statum Politicum Sveciae scripserunt, Henricus Soterus, de Svaeciae Republica, Lugduni Batavorum 1633. Jacobus Typotus in relatione de regno Sveciae, et bellis Civilibus Francofurti 1673. Joannes Messenius In Theatro nobilitatis Sveciae, Holmiae, 1616.

memoratur *Olaus Traetelga*, qui ab *Ansgario* Monacho et Septemtrionalium Apostolo ad fidem Christianam conversus, demum furore Ethnicorum idolo immolatus est. Alter rex celebratur *Olaus II.* dictus *Scotskonnung* quod Romano Pontifici annuum tributum concesserit; ceterum missis obscurioribus Sveciae regibus; seriem Regum deducemus a seculo XII. *a*) quo inclaruit. *Ericus Sanctus* 1150. qui Finnos bello domitos ad religionem Christianam perduxit, veteres regni leges et Constitutiones in unum volumen collegit et *leges Erici* dein dicebantur, qui tamen anno regni decimo a suis occisus 1160. in numerum Sanctorum relatus est. Hunc excepit *Carolus* qui Gothiae et Sveciae regna in unum conjunxit; cui post octo annos successit *Canutus*, quem 24. regni anno excepit *Surcherus III.* quo post 18. annos mortuo *Ericus XI.* successit, quem *Joannes I.* et hunc *Ericus XII.* excepit a. 1222. qui postquam 28. annis feliciter regnasset, successorem reliquit, procerum consensu electum 1250.

Waldemarum, qui circa a. 1266. urbis et castelli *Holmiae* prima fundamenta posuit, qui multis factionibus bellisque internis diu fatigatus, tandem regno se abdicavit 1276. et regimen in filium suum transtulit *Magnum*.

Magnus Ladelaas dictus, se *Regem Svecorum* et *Gothorum* appellavit, qui titulus ab ejus

---

a) Petavius. Ration. Tom. 3. p. 237.

ejus aetate ad nostra usque tempora constanter usurpatur; hic a *Lothario* II. magna clade erat affectus; cui a. 1282. successit

Birgerus sub cujus regimine continuis turbis vexata fuit Svecia ob gravissimas dissensiones Regem inter et fratres enatas; quas tandem ut sufferre possit, sub specie reconciliationis fratres omnes repente comprehendi, et ferreis compedibus oneratos in custodiam conjici jussit, ubi misere etiam periverunt; verum rex fraterna hac perfidia adeo suorum animos a se abalienavit, ut in apertam conjurationem prorumpentes, eum solio deturbarunt ita, ut vitam fuga salvare cogeretur 1326. quo in turbulento statu proceres sibi regem elegerunt.

Magnum cognomine *Smeck* per matrem Norvegiae quoque haeredem, qui turbis Danicis *Scaniam* acquisivit; sed tamen brevi a nefanda nobilium factione oppressus, ut se contra eos in regno firmaret, occulte cum *Wlademaro* III. Danorum Rege foedus iniens, eidem etiam *Scaniam* Hollandicam et Bleckincam restituit; quo facto rex adeo nobilium odia in se provocavit, ut ii de externis auxiliis circumspicientes, mox *Albertum* Megalopolitanum Principem Regem Sveciae declararent eo a fortiori: quod rex *Ericum* filium Sveciae, *Haguinum* vero Norvegiae praefecisset. *a*) 1363.

Al-

---

a) Crantzius Hist. Daniae L. 7. et Hist. Sveciae L.

Albertus Megalopolitanus alias Meclenburgicus dux, mox cum *Magno* deposito rege bello congressus, eum vivum cepit 1365. et septem annis in vinculis habuit, ex quibus liberatus *Magnus Smeck* in Norvegiam profectus et aquis submerperiit. Posthaec *Albertus* quoque fere simile fatum experiri cogebatur; quem nempe Norvegiam et Daniam appetentem, *Margareta* Daniae regina in proelio vicit et captum integros septem annos in custodia detinuit; unde dimissus quum spopondisset se aut 70. millia marcarum soluturum, aut si solvendo non fuerit, regnum cessurum; qui dum promissae pecuniae solvendae impar esset, regno Sveciae renunciare compellebatur; qua resignatione facta, mox *Margareta* 1397. consensu ordinum trium regnorum septemtrionalium, *Unione Calmariensi* Daniam, Norvegiam et Sveciam in unum corpus redegit: effecitque ut tria haec regna deinceps unum regem agnoscerent, *a*) proprias tamen constitutiones retinerent. Verum per unionem Calmariensem felicitas regnorum borealium non fuit procurata, quoniam reges deinceps majoribus tributis Svecos oneravissent, regnumque quasi fiduciario jure rexissent; ideo saepius concitata seditione

5. c. 29. 30. 31. Joan. Petri in Chron. Hollandiae. part. 2.

a) Ericus Olaus. Hist. Svecorum, quam edidit. Joan. Messenius, Holmiae 1654. in 4. Joannes Loccenius. Historia Svecana. Francofurti 1676. in optime Samuel Puffendorfius Francofurti 1689. in

tione jugum excutere, regesque proprios sibi eligere tentarunt usque ad exilium *Christiani* II. seu ad annum 1523. ut in Daniae Historia jam vidimus, Svecis praeerant 1397, *Margareta* et *Ericus*. 1438. *Christophorus* 1448. *Carolus* VII. 1470. *Steno-Sturus* Prorex. 1483. *Johannes*. 1513. *Christianus* II. ob immanitatem nunquam antea auditam a suis pulsus. 1523. qua tempestate Sveci facta ab aliis regnis secessione, sibi proprium regem jure haereditario elegerunt: *a*)

Gustavum I. de *Vasa* qui aliquamdiu a Danis carceribus detentus, dein elapsis mox *Dalecarlienses* aliosque ad tyrannidem Danorum excutiendam et libertatem vindicandam tantopere inflammavit, ut Sveci eum 1521. Regni administratorem constituerent, qui postquam Danos e finibus Sveciae expulisset, *Holmiam*que in deditionem accepisset, Danorum factionem opprimens, tamquam libertatis Sveciae vindex et Assertor, communi voto Rex Sveciae electus est, qui latis saluberrimis legibus dum Sveciam tranquillitati restituisset, consensu Comitiorum Religionem Catholicam abolevit, et Doctrinam Evangelicam 1528. publica lege induxit, a quo tempore Religio Lutherana juxta confessionem Augustanam in Svecia viget. Formam quoque Regiminis mutavit, Regiam successionem haere-
dita-

a) Thuanus Hist. L. 1. et 22. Chytreus in Saxon. Ericus Olaus. Joannes Loccenius in Hist. Sveciae Holmiae 1654.

ditario jure in suam familiam Gustavianam transferendo, obiit 1560. *a*)

Ericus XIV. Regni quidem paterni sed non virtutum haeres, imprudenter et crudeliter regnare coepit; nam post bellum cum *Friderico* II. Daniae rege infeliciter gestum, Fratrem suum *Joannem* a populo dilectum in carceres conjecit, eique faventes illustrissimos viros crudeliter occidi jussit; hinc periculosa conjuratio in caput regis concitata est duce *Joanne* fratre e vinculis elapso, a quo etiam regno et vita exuebabatur 1568. regni octavo anno. *b*)

Joannes fratri deturbato succedens, clam ejurata Protestantium religione, svasu Reginae Catholicam fidem in Svecia restituere nitebatur, quam ubi palam inducere nequivisset, sub specie novae Liturgiae inducere laboravit, quod planum Protestantes observantes omnibus viribus reluctabantur; tandem mortua regina, ipse quoque rex a plano destitit. Bellum cum *Friderico II.* Daniae rege adhuc sub fratre coeptum, anticipi fortuna continuavit, donec pace *Stetinensi* 1570. fuisset compositum. *Joannes* mortuus est 1592.

Sigismundus Rex Poloniae *Joannis* filius ad regnum capessendum evocatus, quoniam in religio-

---

a) Historiam Gustavi I. scripsit Samuel Kempenskiold, Strengnesiae 1648. in 12. et Ericus Jorenson, Stockholmiae 1622. Samuel Puffendorf. in Comment. de rebus Svecicis, Ultrajecti. fol.
b) iidem citati.

ligione Catholica inde ab infantia fuisset educacatus, majori longe ac pater zelo Christiana sacra in Svecia propagare studuit, unde bello intestino erumpente cujus caput erat *Carolus Gustavi* I. filius, a quo brevi ingenti proelio ad *Stangebro* victus in Poloniam refugere compulsus est anno regni septimo, et successit 1599. *a*)

Carolus IX. Postquam *Sigismundus* rex in Poloniam redivisset, neque ad praefixum diem ipse aut expetitus filius *Wladislaus* comparuisset, rex electus est *Carolus* IX. qui contra *Sigismundus* Livoniam armis petens, licet magna clade ad *Kircholmiam* per *Chotkevicziun* ducem affectus esset, ubi 7000. caesa, et 4000. capta erant; bellum tamen porro cum pari infelicitate continuavit. Alterum bellum aeque infeliciter gessit cum *Christiano* IV. Daniae rege, qui ei *Calmariam*, *Elsoburgum* et alia loca eripuit, unde ex concepto animi moerore, vel fato ante finem belli decessit 1611. et successit ei filius: *b*)

Gustavus Adolphus continuato aliquamdiu cum Danis bello, tandem inducias duorum annorum inivit, translatisque in Moscoviam armis, *Plescoviam* et alia loca occupavit, tandem Russis aliquot auri tonnas solventibus pacem concessit *Stolboviae* vi cujus etiam *Ingriam* et *Careliam* obtinuit. Postea redintegrato cum Polonis bello, Livoniae et Borussiae quaedam loca eripuit;

---

a) idem. ibid. *b*) Thuanus. Hist. L. 131. et 133. Calvisius in Chronol.

puit, *Rigam* tamen infeliciter oppugnavit, cum quibus pace facta mox tricennali bello Germaniae se immiscuit, qui clarissimus heros torrentis instar totum Imperium victor inundans, post varias insignes victorias, editaque insignis fortitudinis specimina, in proelio ad urbem *Lutzam* cum Caesareis copiis manum conserens interfectus est an. 1632. *a*)

Christina filia *Gustavi Adolphi* nondum aetatis sextum annum complens patri successit mirifice docta, sub cujus regimine Sveci bellum religionarium licet feliciter continuarunt, tamen ad *Nordlingam* clade magna affecti, Bavariam, Franconiam, Sveviam, et Saxoniam restituere cogebantur 1634. sed ubi a Gallis auxilium obtinuissent, captatis animis Imperiales variis proeliis lacesserunt usque a. 1648. quo anno Sveci inita pace *Westphalica* expeditioni finem fecerunt, vi cujus Svecis cesserunt Episcopatus Bremensis et Verdensis, Pomerania anterior, Rugia insula et Wismaria. Interim belium gessit cum *Christiano* IV. Daniae rege,quod biennio post pace *Bromsebroae* 1645. compositum erat. Sic aucta insigniter Svecorum potentia, demum *Christina* regni pertaesa, se imperio abdicans, illud

---

a) Sethus Calvisius ibid. Samuel Puffendorfius, de bellis Sveco Germanicis in Comment. Ultrajecti. 1686. fol. item de Gestis Caroli Gustavi Norimbergae 1698. fol. item Sr. de Prade Hist. Gustavi Adolphi. Parisiis 1686. in 12. Bapt. Burgus de bell. Svecico L. 3. sect. 24.

illud in consobrinum suum *Carolum Gustavum* 1654. transtulit; ipsa vero detecta Religionis Catholicae veritate, Doctrinam Lutheranorum palam respiciens Romam se recepit, ibique obiit praestantissima regina Literatorum fautrix, ad quam celeberimi viri tamquam ad praesidium confugerunt; uti *Cartesius*, *Salmasius* et alii *a*)

Carolus X. Gustavus initio statim bellum Polonis inferens, eos triduano proelio ad *Warsowiam* profligavit, qua armorum felicitate ampliores adhuc victorias reportaturus erat, nisi Danorum hostiles in Sveciam irruptiones eum revocassent, contra quos pari hostilitate profectus mox Cimbricam Chersonesum occupavit, unde saevientis hyemis beneficio per mare glacie constrictum in ipsam Sielandiam irrupit, unde toti Daniae tantum incussit terrorem, ut pacem prae bello flagitarent, quae etiam *Roschildensi* in urbe confecta est: vi cujus Scaniam, Hollandiam et Bleckingam accepit: sed pace brevi interrupta, tanto furore bellum recruduit; ut ipsa metropolis *Hafnia* dira obsidione premeretur, qua durante *Carolus Gustavus* obiit 1660. *b*)

Ca-

---

a) Historiam Christinae Reginae exposuit Galeazus Gualdus Romae. 1656. alia ejus Historia prodivit Francofurti 1698. Panegyricum Reginae scripsit Michael Capellarius, in Christinade, seu Christina lustrata, Venetiis 1700. in 4. *b*) Samuel Puffendorfius, de gestis Caroli Gustavi. Noribergae 1698. Sr. de Prade. Historia Caroli Gustavi Parisiis 1686.

Carolus XI. minorennis princeps patri succedens, interea regnum Senatus gubernabat, ideo etiam pax cum Danis, Polonis et Russis inita est; ast *Carolus* ubi ad legitimam aetatem pervenisset, mox icto cum Gallis foedere, validum exercitum in Germaniam mittendo, cunctis vicinis principibus infensum se reddidit; ideo *Wilhelmus* Brandeburgicus Elector cum foederatis Danis aliisque sociis Svecos aggressus, ingenti clade Svecos e finibus regni ejecit; quo facto vires Svecorum nimis labefactatae erant, ceterum tamen agentibus Gallis cuncta amissa Svecis sunt restituta, ipse vero brevi mortuus est. 1697. *a*)

Carolus XII. bellicosissimus Princeps pro recuperanda Livonia, Danis, Polonis et Russis bellum indixit; et quidem Danos auxiliis Anglorum 1700. feliciter profligavit. Polonos ad *Clissoviam* vicit, ubi exauctorato *Augusto II.* regi *Stanislaum Lescinszky* surrogavit. Contra Russos initio ad *Narvam* victor animatus, arma ultro ferens, demum ad *Pultavam* collatis signis tanta clade attritus est, ut dissipato Svecorum exercitu, ipse *Carolus* trajecto Borysthene fuga salutem quaerens in terram Turcorum se recepit, Russi vero captis celeberrimis ducibus, reliquias Svecorum ad Borysthenem usque Duce *Mentzikovio* adeo persequebantur, ut 16. millia Sve-

a) Historiam Caroli XI. scripsit Joannes Ernestus Pfulius. in Panegyrico Caroli XI. Gryphisvaldae 1673.

Svecorum denuo interciperent. *Carolus* interim in Turcorum Castro *Oczakov* refugium quaerens, quum haud se securum cerneret, *Benderiam* in Moldaviae finitimis sitam se recepit, ubi a Turcis liberaliter exceptus, post aliquot annos patriae redditus, mox in Norvegiam expeditionem succepit, ubi dum strenue arcem *Haldam* obsideret, sclopi ictu percussus occubuit anno 1718. *a*)

Ulrica Eleonora, post mortem Caroli XII. gravis contentio enata erat de successione inter defuncti regis sororem *Ulricam Eleonoram* et ducem Holsatiae *Carolum Fridericum* ex altera sorore natum; quibus decertantibus, habitis regni comitiis haereditariam successionem status abrogantes, regnum detulerunt ad *Ulricam Eleonoram* ea lege: ut absoluto dominio renunciaret, quod ubi praestitisset, forma regiminis mutata est. Regina ut patriam ab hostibus immunem servaret, Anglis Bremam, Borusso Stettinensem regionem, Danis vero vectigal Slesvicum contulit. Postea consensu ordinum concessit regium imperium marito suo *Friderico* Hassiae Landgravio, qui etiam 1720. Sveciae Rex proclamatus est, Regina vero sine prole obiit 1741.

Fridericus I. Hassus consensu ordinum electus rex, Regnum Sveciae in meliorem ordinem redigens, saluti civium multum consuluit. Bellum

---

a) De Carolo XII. lege Joannem Fridericum Mayerum. prodivit Gryphisvaldae 1704.

lum Russis infeliciter illatum post sinistram pugnam ad *Wilmanstrandum* commissam, pace *Aboae* composuit 1743. Post haec incrementis rei literariae salubriter prospectum est; rex vero obiit 1751.

Adolphus Fridericus Episcopus Lubecensis, ex familia Ducum Holsatiae natus, vivo adhuc *Friderico I.* in publicis Comitiis successor designatus fuit; cujus regimen statuum discordiis minus quietum erat: praevalens enim factio optima etiam plana regis subvertere nitebatur, hinc Magistratuum auctoritas vilipensa, Regia vero potestas subversa erat: quam Comes *Brahe* vindicare volens, velut libertatis proditor supplicio affectus, 1757. quum rex nullam spem tranquillitatis observaret, praesertim quod senatus contra Borussos etiam invito rege auxilium decrevisset; cujus rei indignitate motus *Adolphus* regno se abdicavit, 1769. qui denuo revocatus, licet de factiosis supplicium fuisset sumtum, desideratam tamen pacem regno restituere non potuit; brevi enim mortuus est 1771.

Gustavus III. defuncti filius a Comite *Fessin* optime educatus, quum observasset Nobilium et Civium contentiones amplius augeri, politicis mediis factiones sufferre statuit; qui agente *Hellichio* supremo militum duce, omnes Senatores Regiam potestatem penitus subvertere conantes in vincula conjecit, et 1772. in Comitiis novam regiminis formam sanxit, omnemque mutationem triduo sine omni crudelitate perfecit;

cit; vigore cujus potestatem leges ferendi Comitiis, eas vero exequendi Regi detulit: quae forma gubernationis sedecim annis in vigore perstitit, factiones sustulit, et omnem reipublicae partem optimis institutis firmavit. Verum gliscens in cordibus multorum seditio iterum erupit 1788. dum Rex contra Russos in favorem Turcarum expeditionem adornasset, qui mature detectis turbis domesticis, pacem cum *Catharina* II. Russorum Imperatrice 1790. iniens, domi rara moderatione usus, seditiosorum animos placavit, et post Comitia *Gevaliensia* 1792. *Holmiam* reversus, in publico loco brevi per Centurionem *Ankerstroin* ab exilio revocatum, nefarie vulneratus, post tredecim dies obiit 1792.

Gustavus IV. post mortem patris, consensu ordinum rex electus, ob juvenilem aetatem tutorem et regni administratorem accepit *Carolum Sudermanniae* ducem patruum, qui difficillimis iis temporibus, quibus conjurationes imprimis invaluerunt, prudenter tamen suam et Regis vitam salvavit: Typographiae et Censurae libertatem temperavit, effeminatum luxum sustulit, Reipublicae Gallicanae legatos primus agnovit. Tandem *Gustavus* 1796. majorennis declaratus, omnia antiqua instituta uti et summum Senatum restituit, abusus in administratione regni et Judiciorum suffere studuit, foedus cum Russis, Danis et Borussis contra Anglos inivit; sed brevi Anglis se associans, priores foederatos hostes accessit; demum ob severitatem in suos

exer-

exercitum, gravem conjurationem in se concitavit, cujus furore una cum suis haeredibus regno exturbatus est 1809.

Carolus XIII. rex creatus mox ordinum consensu *Christianum Augustum* Holsatiae Principem Throni successorem eligens, cum jactura licet provinciarum Finniae, Bothniae orientalis et Alandicarum insularum, tamen cum Gallis, Danis et Russis pacem fecit. Verum mortuo Coronae Principe, mox consensu ordinum a rege adoptatus est *Bernadotte* celebris Gallicarum copiarum Dux et *Napoleonis* affinis, qui tunc nomen *Caroli Joannis* assumsit: qui etiam a. 1813. regnare coepit

Carolus XIV. in maximo belli Gallici fervore regnum adeptus, quum *Napoleon* Russis bellum indixisset, Svecorum quoque auxilium sub splendidis promissis, nempe erga restitutionem Finniae, et communionem jurium foederis Rhenani postulabat; verum *Carolus* consultius fore existimans pro sui utilitate potius cum Anglis et Russis foedus inire, ideo militiam in Germaniam deducens, emolumentum Foederatorum contra Gallos multum juvit; Danos ad pacem *Kielensem* ineundam, et Norvegiam sibi tradendam compulit; et licet huic instituto Norvegi reluctarentur, imo *Christianum Fridericum* Daniae principem ad capessendum regnum evocaverint, tamen auxiliis destituti, plano foederatorum Principum cedere debuerunt; sub cujus

regimine in hunc usque diem Sveciae regnum floret una cum Norvegia.

§. 5. *Status Literarum et Artium in Svecia.* Septemtrionales populi variis Gentilium superstitionibus erant dediti, usque dum Religionem Christianam suscepissent, ab eo autem tempore sensim politiorem culturam assumserunt, per Episcopos enim et sacerdotes non solum in Religionis principiis, sed etiam in honestis bonarum artium disciplinis imbuebantur. Verum abolita religione Catholica; ipsi etiam Episcopatus sensim exoleverunt, quales erant *Upsaliensis*, *Lingopingensis*, *Scanorum*, *Arosiensis*, *Vexiensis*, *Lundensis*, *Calmariensis*, *Aboensis*, *Gothemburgensis*, *Carstadiensis*, *Wiburgensis*, *Vesterasiensis et Revaliensis* quorum Praesules variis scientiis certe instructi Sveciam condam ornarunt. Verum postquam Doctrina *Lutheri* publica lege inducta fuisset 1528. sensim ad eam doctrinam amplius irradicandam et augendam, Principes varias publicas scholas erexerunt; quarum praecipuae Academiae erant quatuor, uti *Upsaliensis* 1540. erecta. *Lundensis* 1668. fundata. *Dorptensis* 1632. excitata, et 1695. *Pernaviam* translata: quarta vero in *Aboensi* urbe erecta 1640. in quibus juxta adprobatae religionis placita Scientiae passim in hodiernum usque diem florent. Sicut autem in Svecia omnis rustici opificia et artes mechanicas colunt, ita e contra Lapponenses barbaro more vitam tolerantes, ad nullas scientias se applicant aut

artes

artes; pro' quorum culturae ac civilisationis fundamento *Carolus XI.* Sveciae rex Scholas publicas ibidem erexit. Sub *Gustavo* III. sopitis factionibus, artes et scientiae erant auctae, quibus etiam hodie optimis institutis salubriter prospectum est.

Caput VII.

Exhibens Historiam Helvetiorum.

1. *Statistico Geographica notio Helvetiae.* Regio quae inter montem *Juram*, lacum *Lemanum*, Italiam et Rhenum sita est, jam olim a Romanis *Helvetia* vocabatur, nam L. *Cassius* Consul a Tigurinis Gallis pago Helvetiorum, in finibus Allobrogum cum exercitu caesus fuit; quo tempore Tigurini Cimbris se junxere. *a*) Helvetia habet ad ortum Comitatum Tyrolensem, ad meridiem Alpes Cottias, Lombardiam et tractum Pedemontanum; ad occidentem Sabaudiam et Burgundiam; ad Septemtrionem Rhenum. Helvetiorum fines in longitudinem jam *Caesar*

a) Epitom. Livii. L. 67. Eutropius L. 5.

a) 240. millia passuum, quod et hodie verum est, refert. Regio tota salubri aere fruitur, et licet vastissimis montibus aspera sit, indefesso tamen Incolarum labore ac industria adeo culta est, ut nulla ex parte sterilis sit, quoniam producat non tantum ad vitam bene conservandam necessaria, sed etiam quae deliciis ac luxui deserviunt; terra quidem exusta labore incolarum culta, frumentum abunde producit; vina generosa gignit, in pinguissimis vero pratis greges et armenta magno numero pascuntur; ob animalium copiam frequentes fiunt venationes. Lacus hic sunt celebres, uti *Lucerinus*, *Tigurinus*, *Rivarius*, *Neoburgensis*, et omnium maximus *Acronius* seu *Bodensee* olim *Brigantium* dictum. Flumina Helvetiam rigantia sunt: *Rhenus*, *Rhodanus*, *Adua*, *Ticinus*, *Linagus*, *Byrsa*, *Langarus*, *Sara*, *Arola*, et alia permulta. Montes etiam excelsi, uti *Gothardi*, *Sylvii*, *Adulas*, *S. Bernardi*, *Valarii* et *Brantii*; item Alpes *Penninae*, *Cottiae*, *Graiae*, *Juria*. etc; Olim ad Imperium Romanum, dein ad Germaniam pertinebat, donec Helvetii a Praefectis Regiis durissime habiti anno Ch. 1307. in novam societatem coeuntes, initium foederis Helvetici *b*) fecissent initio tres pagi, uti *Urii*, *Suitii*, *et Untervaldii*: quibus alii dein semet associarunt; a quo tempore libe-

---

a) Caesar. de bell. Gall. L. 1. *b*) Guillimannus de reb. Helvetiae L. 2. c. 16. n. 5. seq. Nicolau

libera Helvetiorum Resbublica in hodiernum usque diem floret. Dividitur in quatuor Provincias, uti *Zurichgowiensem*, *Basileensem*, *Wiflispurgergowiensem* et *Argoviensem*, in quibus provinciis primaria Urbs est *Zurich* seu *Tigurum*, quae licet quinto loco Helvetico foederi accesserit, tamen propter Urbis celebritatem et potentiam, communi consensu primatum tenet, multosque viros illustres jam olim produxit, habetque forum frumentarium amplissimum. Dein *Tugium* oppidum celebratur. *Basileensis* urbs caput est provinciae ejus nominis: item *Farensberg*, *Reinfeld*, *Wallenburg*, *Homburg*, *Munchenstein*, *Ramstain*. *Berna*, *Lausanna* olim Episcopalis civitas. In Germanicis provinciis celebrantur *Frutingen*, *Sana*, *Thun*, *Louppen*, *Signow*, *Burgdorf*, *Biereneck*, *Arberg*, *Erlach*, *Wangen*, *Lentzburg*, item libera tria oppida, *Zoffingen*, *Araw*; *et Bruck*. In Gallica provincia vero sunt: *Aventicum*, *Wiflisburg*, *Minnidunum*, *Yverdon*, *Morges*, *Novidunum*, *Oron*, *Zilia*, *Friburgum*, *Brisgoja*, *etc.* Quod incolas in genere attinet, sunt humani, magno enim amore et honore advenas excipiunt; ac inter ceteras merces, optimos

---

Burgundus Hist. Bavariae, L. 1. p. 27. Naucler. Generat. 47. p. 364. Josias Simlerus. L. 1. de republ. Helvetiorum. prodiit Parisiis 1578. in 8.

mos caseos, aurea filia et setam in alias provincias mittunt. *a*)

§. 2. *Status Religionis et consvetudinis.* Helvetii Ethnicam observantiam una cum Germanis ejurantes, Christianam religionem eodem tempore assumsisse videntur, quam etiam omni cum cultu usque ad Reformationem constanter retinuerunt; numerarunt enim complures Episcopatus, imo et hodie supersunt magnifica templa, sumtu et artificio splendidissima. Verum iis fere temporibus, quibus *Lutherus* in Soxonia Reformationi erat intentus, in Helvetia quoque *Tigurini* ex consilio *Zvinglii*, (qui erat natus 1484. dein ex Ludimagistro Concionator ab anno 1506. tum Parochus *Glaronae*, tandem Pastor *Tigurinus* ab an. 1519. vir alias doctus; corrupta tamen sua opinione primus omnium praedicare coepit *Evangelium ex Scripturis Sacris*, praetermissis Catholicorum traditionibus; qui insuper multum dissensit a *Luthero* in Doctrina de Eucharistia, in qua nudum signum solum esse dicebat; et de gratia. Tigurinos secuti sunt Basilienses adjuvante *Oecolampadio Joanne* natione Svevo sed viro facundo, qui cum *Zvinglio* fervidis suis sermonibus et scriptis adeo Helvetios commoverunt, ut quum alii pagi id aegre ferrent, *Bade-*

---

a) Topographica descriptio Helvetiae, cum figuris ap. Mathaeum Mariani, prodiit Francoforti 1672. in fol.

Badenae communi fidelium consensu disputatio sine successu, imo manifesto Protestantium damno instituta esset; brevi etiam *Bernae* disputatio erat, ubi quum Monachi male causam tuerentur, Catholica religio abrogata est: id factum erat etiam *Schaphusii*, ubi 46. currus destructis Ecclesiarum imaginibus impleti, extra urbem cremabantur. *Oecolampadius* moerore ex *Zvinglii* morte eveniente decessit, cujus conamina continuavit *Joannes Calvinus* natione Gallus Noviodunensis, *Luthero* longe eruditior, cujus opiniones causa religionis plane civilia bella sangvinolenta produxerunt, brevique Galliam, Helvetiam, Belgium, Germaniam, Borussiam, Hungariam et Transilvaniam invaserunt. *a*) Angliam quoque et Scotiam pervasit, ubi tamen Secta mutata est apud illos in Episcopalium, apud hos in Presbyterianorum: hinc ob funestissimas caedes consecutas non deerant dicentes: Calvinum in Rhodanum esse praecipitandum. Ceterum novae religionis Sectarores nec in illis provinciis de ejusdem veritate convenire poterant; hinc Refor-

---

a) Abraham Scultetus in Annal. Eccl. Theodor. Beza in vita Calvini. Joannes Henricus Hottingerus, Speculum Helvetio Tigurinum. Tiguri 1665. in 12. Ludovicus Lavaterus, de ritibus et institutis Ecclesiae Tigurinae, scripsit Tiguri 1586. in 8. Joannes Jacob. Huldricus. de religione antiqua et Catholica S. Felicis et S. Regulae Protomartyrum Tigurinorum. Tigurii 1628. in 4.

formatio praetensa plures Sectas produxit; uti *Anabaptistarum* authore *Nicolao Storkio* et promotore *Thoma Münzero*, qui specioso libertatis Christianae titulo Rusticos contra suos Dominos concitarunt, asserentes bona cunctis Christianis esse communia; qui furibundi brevi *Joannem Boccolt* Sartorem Lugdunensem regem constituentes funestissimis caedibus occidentem impleverunt; quorum grassationes tantisper pax *Westphalica* impedivit, vi cujus praeter Catholicorum, Augustanae et Helveticae confessioni adictorum religionem, nullius alterius liberum religionis exercitium permittitur. His tamen legibus nihil obstantibus non de erant homines curiosi, qui Religionem mysteriis carentem, et humano intellectui perspicuum condere intendebant, qualis erat *Laelius Socinus* Tiguri in Helvetia mortuus, cujus scripta in lucem protraxit ejus ex fratre nepos *Faustus Socinus*, cujus sectatores *Sociniani* dicti sunt; hic ex Helvetia ubi nefandam suam doctrinam jam late propagaverat, evocatus in Transilvaniam 1573. a *Georgio Blandrata* medico Principis *Christophori Báthory*, qui mox cum *Francisco Davidis* inita amicitia, in augendis Unitariis intentus, in Poloniam brevi profectus, ibidem Anabaptistas ex Germania pulsos in suam sententiam pertrahens, post multas adversitates et inde proscriptus, una cum Sectatoribus in Transilvaniam remeavit; ubi ab Unitariis Hungaris amice exceptus, licet diversis

Curi-

Curionibus uterentur, tardius tamen nempe 1793. in unam Unitariorum Doctrinam deinceps profitendam coaluerunt. Atque sic in Helvetia, sicut Cives libera republica fruuntur, ita iidem religionem magis sibi arridentem libere in hunc usque diem profitentur.

3. §. *Status Politicus et Forma regiminis.* Helvetia olim Monarchiae Romanae, dein Franciae pars erat, quam Germanico Imperio an. 1027. adjunxit *Conradus* II. Imperator; qui ejusque successores summum jus in Helvetiam per suos Praefectos exercuerunt, qui *Alemanniae Duces* dicebantur: sed dum hi potentiam suam cum nimia civium oppressione ac vexatione auxissent, quaedam Civitates ab Imperatoribus privilegia obtinuerunt, aliae vero defensores in ipsa Helvetia quaesiverunt; sic Uria, Suitia, Subsilvania et Haslia *Rudolphi* Comitis Habsburgici patrocinio se comisit, qui dum Imperator fuisset electus 1273. praeter Turgoviam, Glarum, Tugium et Luceriam, quatuor obtinuit in Helvetiam Comitatus, uti Habsburgicum, Fryburgicum, Badensem et Lentzburgensem, certas libertates sibi retinentes. Verum postquam *Albertus* I. *Rudolphi* filius hos comitatus penitus sibi subjicere constituisset, ejus Praefecti *Geisler* et *Bilger* rigori crudelitatem adjungentes, Helvetios adeo commoverunt, ut pro defensione suae libertatis foedus inter se inirent, seque ducibus rusticanis, imprimis *Wilhelmo Tello* qui Praefe-

ctum

ctum Caesareum *Giesler* superbia et lascivia ferocientem sagitta trajecerat, in libertatem vindicarent. Igitur partim civilibus discordiis, partim injustioribus imperiis Praefectorum, Helvetii incitati, Initium fecerunt confoederationis tres pagi, uti *Urii*, *Suitii* et *Untervaldenses*, apud quos *Vernerus*, *Valterus* et *Arnoldus Melchtal* divites cives inclaruerant: *a*) quorum exemplo paullo post invitatae aliae etiam urbes, uti Tigurum, Sangallum, Schaphusium, Constantia, quae prioribus semet adjungentes, inita arctissimis foederum legibus societate, potentiam effecerunt vicinis facile parem, quae demum victoriis et sociorum accessione aucta, aliis formidabilis evasit: *b*) inter Helvetiorum confoederatos erat quoque Rhetorum respublica: Quorum intentio non ea erat ut se imperio sejungerent, sed tantum ut libertatem sibi legibus concessam tuerentur: hinc tamen eorum libertatem, post victoriam de Austriacis relatam etiam *Henricus VII.* et *Ludovicus* Bavarus confirmavit, Foedusque perpetuum mansit, quod variarum provinciarum accessione adeo crevit, ut an. 1513. tredecim provincias Hel-

a) Josias Simlerus. L. 1. de rep. Helvetiae. *b*) Idem. ibid. Variis autem auctoribus Helvetiorum Respublica prodivit Lugduni Batavorum 1628. in 12. In Schardii T. 1. exstat Egidii Tscheudi, de prisca et vera Alpina Rhaetia etc. Huldericus Campellus, de Rhaetia antiqua, et Alpina, Tiguri 1617. in fol.

Helvetia sinu suo complecteretur. Helvetia igitur *Anarcha* est et libera, cujus ager in quatuor partes dividitur: Respublica vero tribus partibus constat; *Prima pars* sunt XIII. pagi, quos *Cantones* vocant, hi soli prae aliis foederatis jus habent de omnibus ad communem Rempublicam pertinentibus in publicis conventibus deliberandi et Praefecturas acquisitas pari jure administrandi. *Secunda pars* sunt Foederati. *Tertia pars* sunt Praefecturae armis aut spontanea deditione conquisitae. Tota Helvetiorum Respublica ex Optimatum et Populi Imperio mixta est ; nam ex populis quibus tota Civitas constat, quidam pleno Democratico imperio utuntur; ubi totius plebis suffragiis omnia determinantur, ut fieri solet in iis Pagis qui nulla habent oppida, quales sunt Vranii, Suitii, Untervaldii, Glaronenses, et Abbatiscellani; huc pertinet etiam *Tuginorum* ratio, licet hi habeant oppidum. Alii ab optimatibus reguntur, quales sunt omnes Urbes Helvetiae, uti Tigurum, Berna, Lucerna etc. Sed quoniam summa potestas penes populum sit, a quo ipsi Magistratus eliguntur; patet has respublicas mixtas esse, prout aliae magis Aristocraticae, aliae magis Populares sunt. De administratione autem Reipublicae sequentia sunt notatu digna: Ex singulis Tribubus aequāli numero deliguntur qui publicis consiliis intersunt tam *Tiguri*, quam *Basileae*, in his enim Urbibus sunt maximae auctoritatis duo publi-

publica Consilia *Majus* et *Minus*. Majus est quando plures nomine totius plebis conveniunt, quod plerumque convocatur in gravioribus negotiis, quae ad totam Rempublicam pertinent. *Minus Consilium* quotidie administrat rempublicam et civium controversias cognoscit. *Tiguri* Maius Consilium est 200. hominum, *Basileae* 244. — Minus Consilium Tiguri 50. hominibus, Basiliae vero 44. hominibus, constat. His accedunt duo Consules in singulis urbibus tamquam publici Consilii capita. *Minus Consilium* dividitur in vetus et novum. Convenit autem minus consilium plerumque ter aut quater singulis septimanis, utrique Senatui praest Consul, quem *Burgermeister* vocant, quem Majus Consilium eligit. Consulibus potestate proximi sunt *Tribuni*, quorum Tuguri tres sunt, Basiliae autem duo. Quo una cum duobus Consulibus quatuor urbis capita nominantur. *a*) Idem de Berna et Friburg urbibus est intelligendum. Statuta et Leges Reipublicae leguntur in libro impresso. Generatim in his provinciis magnus est nobilium familiarum numerus.

§. 4. *Status Belli et memoria Principum Virorum.* Helvetii jam sub *Julio Caesare* a bellicis factis celebres erant, nam hi *Caesari* in Galliam profecto primam belli occasionem dederunt,

---

a) Plura de his docte disserit Josias Simlerus, libris duobus de republica Helvetiae.

derunt, qui Rhenum inter et Rhodanum habitantes terris suis non contenti, *a*) moenibus suis succensis, alias sedes petierunt; verum *Caesar* mox bellicosissimam gentem difficili proelio vicit adeo: ut 47. millibus deletis, reliquam multitudinem in suas sedes remitteret; parebantque dein Romanis, postea Francis, quos Germanico Imperio adjunxit *Conradus* II. an. 1027. et per Praefectos gubernavit; tandem 1275. Praefectorum Austriacorum injuriis provocati, foedus inter se ducibus Rusticanis ineuntes, occisis Praefectis se in libertatem vindicarunt 1307. Austriacus *Albertus* I. Imperator ansam secessionis praebuit sua in cives severitate, qui ut seditiosos ad obsequium revocaret, expeditionem contra illos suscepit adeo infeliciter, ut ipse occumberet. Quo tempore Helvetios *Henricus* VI. Imp. in sua libertate confirmavit, quod ipsum *Ludovicus Bavarus* sequebatur. *Maximilianus* etiam eis, quod nec foedus cum eo renovare, nec judicio Camerae se submittere vellent 1499. bellum intulit; quo octo pugnis totidem clades exercitus ejus, sociique acceperunt; quo facto Helvetii firmata sua libertate, duas imperii civitates *Basileam* et *Schaphusium*, nec non *Abbatiscellam* corpori reipublicae suae adjunxerunt; a quo tempore XIII. *Cantones* constituunt

Rem-

---

a) Caesar. Comment. L. 1. Florus L. 3. c. 10. Epitome Livii. L. 103. Dio. L 38.

Rempublicam. *a*) Quo in bello novissimum virtutis suae Specimen ediderunt Helvetii, imo etiam specioso *assertorum Italiae* titulo ornati sunt. Sic eximiis victoriis clari vires suas sensim augentes, eo cunctos Imperantes permoverunt, ut pace Westphalica 1648. unanimi consensu decernerent, ne ad foederatas Helvatiae provincias deinceps quidquam juris aut praetensionis sibi Principes formare valeant aut possint. Licet autem respectu expensarum exiguos proventus habeat Helvetia, potentiam tamen bellicam ob magnum incolarum numerum admirandam habet, nam cuncti viri ab anno aetatis decimo sexto, usque aetatis annum sexagesimum tempore belli dato in monte praealto ignis signo, cunti ad arma convolare obligantur. Hinc solum *Canton Berna* 100. millia armatorum statuere protest. Ceterum tamen Helvetiorum tantam potentiam intestinae dissensiones artibus Gallorum sustentatae adeo recentioribus temporibus debilitarunt: ut retento solo libertatis titulo, se imperio *Napoleonis* fere submittere cogeretur, donec Gallorum hostibus, viam per limites suos aperuisset; iis que auxiliares copias praebuisset: quo facto Helvetia antiquam libertatem plene revindicavit. *b*)

§. 5.

---

a) Pircheimer, de Bello Helvetico. L. 2. Naucler. generat. 50. Mutius. L. 30. *b*) Historiam Helvetiorum Scripserunt Joan. Henr. Hottingerus,

§. 5. *Status Literarum et Arcium.* Helvetia duas celeberrimas Universitates sinu suo complectitur, uti *Basileensem* a Pio II. Pontifice, alias *Aenea Sylvio* fundatam 1459. Altera fuit *Launasiensis* in Canton Berna, quae tamen post *Calvini* reformationem translata est Friburgum. Tardius Tigurini et Bermae pro Reformatis, in Urbe vero Lucernensi pro Catholicis Scholae sunt erectae, in quibus lingva Latina et Philosophia pertractatur; sunt etiam alia privata Instituta temporanea, sub privatorum Virorum manuductione, inter quae ad annum usque 1824. celeberrimum erat in civitate *Yverdon* Institutum *Pesztaloczianum* sub manuductione *Henrici Pestaloczy*, qui tamen ob varias adversitates, Helvetiam deserere compulsus 1825. in Galliam se recepit. Quod attinet Viros ingenio, artium et Scientiarum professione celebres, non pauci erant et sunt, qui suis scriptis et institutionibus Theologicis ac Philosophicis inclaruerunt: uti Petrus Viretus Verbigensis, Gulielmus Farellus, Joannes Calvinus,

---

Tiguri. 1. 654. in 8. Josias Simlerus, de Helvetiorum republica, Foederibus, origine, ac legibus. Parisiis 1577. Joan. Bapt. Platinus. Helvetia antiqua et nova Berna 1656. Franciscus Gullimannus, de rebus Helvetiae Libri V. Friburgi 1598. in 4. Michael Stettler. Bermae 1627. fol. Joan. Stumphius. Tiguri 1548. fol. Bilibaldus Pirckheimerus, Historia belli Helvetici. Sub Maximiliano I. ap. Freherum. T. III. etc.

vinus, Antonius Cadeel, Petrus Cevalerius, Nicolaus Colladonus, Cornelius Bertramus, Alberius, Alizetus, Sequierius, Bucanus, qui Pastorum aut Professorum munera diligentissime obierunt; quibus successerunt ab editis operibus clari: uti Theodorus Beza, Veselius, Simon Goulartius Silvajectinus Antonius Fajus, Joannes Jacomotus, Jacobus Lectius Senator, Joannes Deodatus Genevensis, Isacus Casaubonus, Casparus Laurentius. etc. Bibliothecae etiam publicae complures exstant, celeberrima est *Genevensis* multis eximiis manuscriptis ornata; et *Lausanensis* Patrum et aliorum Praestantissimorum Theologorum opusculis refertissima.

Caput. VIII.

Exhibens Historiam Belgarum.

§. 1. *Statistico Geographica notio Belgii.* Belgium ab antiquis *Belgis* appellatur, qui atroces ballatores erant, teste enim *Julio Caesare* Belgica haec produxit illustriores semper et fortiores milites, quam reliqua Gallia. *Belgium*

gium hodie etiam *Germania Inferior* vel *Niderland* vocatur: cujus termini sunt a Septemtrione oceanus; a meridie Campania et Picardia; ab oriente Rhenus et Mosa fluvii, ab occidente mare Austrinum. Generatim Belgium ab initio ex XVII. provinciis constabat, quas decem diversae nationes incolebant: fluvii praecipui sunt quatuor uti *Mosa Scaldis*, *Mosella* et *Rhenus*. Hodie etiam Belgium dividitur in *Belgium Hispanicum*, et *Belgium Foederatum* seu *Hollandicam respublicam*. In Belgio Hispanico sunt X. provinciae uti: *Artesia*, *Flandria*, *Hannonia*, *Namurcum*, *Luxemburgum*, *Liburgum*, *Geldria*, *Brabantia*, *Antverpia*, *et Mechlinium*. In Belgio Foederato autem sunt septem provinciae uti; *Hollandia*, *Seelandia*, *Ultrajectina*, *Geldria* cum *Zuthvania*, *Transisalana*, *Groninga*, *et Frisia occidentalis*, quas XVII. provincias omnes *Carolus* V. Imperator possedit. Ex quibus IV sunt Ducatus uti *Brabantiae*, *Limburgi*, *Lutzenburgi*, et *Geldriae*. Comitatus sunt VII. uti *Flandriae*, *Artesiae*, *Hannoniae Hollandiae*, *Zelandiae*, *Namurci*, *et Zutphaniae*. Unus Marchionatus Sacri Imperii qui quatuor principales Civitates habuit. Dominia sunt V. uti *Frisia occidentalis*, *Mechliniae*, *Vltrajecti*, *Transisalaniae* et *Groningae*. Urbes Belgium munitas continet circiter 520. oppida privilegiata 230. pagos plus minus 12,000. In-

ter urbes maxime excellunt: *Lovanium*, *Bruxella*, *Antverpia*, *Silva-Ducis*, *Gandavum*, *Brugae*, *Hipra*, *Mechlinia*, *Cameracum*, *Aarebatum*, *Tornacum*. *Mons*, *Valencena*, *Insulae*, *Dordrectum*, *Harlemum*, *Amstelodamum*, *Lugdunum Batavorum*, *Namurcum*, *Neomagum*, *Trajetcum. et aliae.* Ob quas florentissimas Urbes, innumeros pagos et inhabitatorum admirandam frequentiam, eorum divitias et civilitatem jam *Carolus* V. Imperator saepe deliberavit eas provincias in Regnum esse erigendas. Lacuum, Stagnorum, et paludum magnus est numerus. Oceanus vero hic vastam et superbam ostentat faciem, quo si carendum esset, vix dimidiam incolarum partem alere posset. Hinc Belgium totius fere Europae quasi portus et forum est, hic enim infinita est mercatorum et nagotiatorum multitudo. Montibus paucis, nemoribus tamen et silvis quantum voluptati et venationi satis est, aut regionis decor exigit sparsim ornatur: celeberrima silva est *Soniensis* ad Bruxellam, quo nobiliores ditioresque cives distractionis causa remeare solent. Opera publica in his regionibus sunt innumera, uti magnifica templa, plurimae Abbatiae, innumera Coenobia et Monasteria, plurima Xenodochia, Nosocomia, Orphanotrophia, qualia in sola Urbe Antverpiensi 42. numerantur. Item Ducum, Comitum et Procerum sumtuosa palatia. Status sunt tres, uti *Ecclesiasticus* quo praecipui Abbates; *Nobili-*

bilitatis quo Duces Comites et magni Dimini pertinent: et *Civitatum* quem primariae civitates representant. Episcopatus erant quatuor. Academiae et Bibliothecae complures. Incolae sunt formosi, quieti, parum cholerici et superbi, civiles, ad omnia prompti, laboriosi, grati in bene meritos, artium et Scientiarum capaces, privilegiorum avitorum studiosi: id tamen vitii habent Belgae, quod potu se nimio ingurgitent juxta illud Horatii *Vino pellite curas*, hinc saepe immaturae mortis causam praebent, juxta illud Propertii: *Vino forma perit*, *Vino corrumpitur aetas.* Generatim vestitu commodo utuntur, ac mercaturam et artes communiter exercent. *a*)

§. 2. *Status Religionis et consvetudinis.* Belgium prout ad Hispaniam vel Germaniam pertinebat, ita cum iis Veram Christi religio-

r 2 nem

---

a) De Geographico Statu Belgii scripserunt Hubertus Thomaeleodi, de populis Germaniae inferioris, Argentorati 1541. Abraham Ortelius. Belgium Vetus Antverpiae 1595. fol. Andreas Dessefius. Bibliothecae Belgicae Lovanii 1643. in 4. Christophorus Calvetus. Antverpiae. 1552. in 8. Albertus Golnitzius in Vlyse Gallo Belgico. Amstelodami 1655. Joannes Grammaye. edidit peregrinationem Belgicam Coloniae 1623. in 8. optima est Ludovici Guicciardini Belgiographia, seu omnium Belgii regionum descriptio. latine versa per Regnerum Vitellium Amstelodami 1635. in 12. locupletissima est Martini Zeileri Topographia Inferioris Germaniae, Francofurti 1667. fol.

nem profitebatur, sed ad annum 1521. variis in locis initia reformationis erumpebant; uti Antverpiae *Jacobus* Praepositus, Lovanii *Martinus Dorpius*, Trajecti *Joannes Rhodius* et alii docuerunt, Sacramque Scripturam in idioma Belgicum transtulerunt; in quos Imperator adeo severe animadvertebat, ut *Carolo* regnante ultra 50. millia hominum suppliciis sublata esse dicantur. *Margarethae* enim Gubernatricis Consiliarius Cardinalis *Granvellanus*, contra eos qui a Religione Catholica desciverant *Inquisitionem Hispanicam* in Belgium induxit, XVIII. Episcopatus, et in iis tres Archiepiscopatus uti *Mechlinensem Cameracensem* et *Trajectensem* constituit. Quo facto Belgae offensi palam Gubernatricem accedentes, Inquisionem una cum decretis contra haereses latis sufferri postularunt. *a*) Interim *David Georgius* plasphema sua nova Doctrina Belgas commovit, *qui se Christum et Verum Messiam dicebat*, ac praeter alia horrenda etiam promiscuam libidinem permittebat, utque tuto latere posset, mutato nomine in *Joannis Brukii* 15. annis Basileae simulata pietate vixit, qui anno aetatis 56. moriturus dixerat, triennio exacto se revicturum et promissa sua perfecturum, sed biennio et 6. mensibus post, re detecta jussu senatus per Carnificem effossus, una cum liberis combustus ets tamquam insignis Praestigia-

---

a) Thuanus. Hist. L. 27. P. Borhaeus. Hist. Belg. L. 1.

giator. Eodem tempore apud Batavos quidam *Henricus Domus* alias *Charitas* dictus fanatico zelo famosus erat, qui se *Moysi* et *Christo* praeferens, impio argumento *quia Moses spem docuisset, Christus fidem, ipse Charitatem utraque majorem doceat.* Ceterum missis his fanaticis, quum status Belgii nihil a *Margareta* Gubernatrice quoad Protestantium religionem obtinuissent, quos *Barlamontius* per contemptum plane *Geusios* id est *mendicos* compellavit; (unde illi qui in Gallia *Hugonotti*, illi in Belgio *Geusii* dicebantur.) imo dum petita eorum ad regem deferrentur in Hispaniam; plebs non exspectato regis responso armata ad conciones heterodoxorum concurrere coepit, Catholicorum templa dirripuit et succendit, sacrasque imagines deturbatas confregit. Quibus in adjunctis missus est ab Rege ex Hispania *Ferdinandus* dux Albanus, qui Belgas in judicium vocaret addito mandato: ut Protestantes ministri, eorum hospites, non flamma sed suspendio necarentur, qui animum sententiamque mutarent gladio, vulgus exilio castigaretur. Haec et similia Protestantium animos amplius adeo accendebant, ut in plerisque provinciis sibi publicam Religionis libertatem sumerent, ac duce *Vilhelmo Arausiaco* Principe foedus perpetuum ineuntes initio mare infestum reddiderunt, dein felici armorum successu a. 1579. ex VII. Provinciis Respublica Foederati Belgii coaluit: unde nihil in Belgio deinceps erat,

quam

quam continuum sangvinis balneum, prout *Melanchton* jam dixerat: *Ve Belgio ab horendo sangvinis balneo et ingeniorum petulantia;* et revera severe in Protestantes animadversum erat, nam omissis aliis suppliciis, passim captos capitibus ad genua ligatis in vase aquarum pleno mergebant. *a*) Ceterum Ordines religionem Protestantium, uti et Regionem victricibus armis egregie sub patrociniis *Wilhelmi Arausiaci*, dein *Elisabethae* reginae protectione tutati sunt; imo in usum novae Ecclesiae et Reipublicae, celebres Academiae *Lugdunensis* nempe et *Franequerana* erectae sunt. *b*) Verum parta foris pace, domi pacatas Ecclesias mire conturbavit Haeresis *Arminiana* *c*) cujus origo est haec: Initio Reformationis, ob defectum Pastorum, multi ministerio admoti erant ii Sacerdotes qui Catholicam Religionem quidem deseruerunt, opiniones tamen de vera fide nondum penitus exuerant, quales erant *Casparus Colhasius* Leydae, *Hermannus Herbetus* Dordrechti, *Cornelius Viggerus* Hornae, qui de Praedestinatione, de vocatione hominum ad salutem, et hinc profluentibus dogmatibus; item de Confessione Belgica et Catechismi Palatini authoritate quaestiones moverunt, quorum audacia aliorum Pastorum ac Magistratus vigilantia repres-

sa

---

a) Thuan. Hist. L. 40. Henric. Anton. in Praefat. ad Syst. *b*) Thuan. L. 60. et 131. Meursius. in Ath. Batav. *c*) In Praefat. ad acta Synodi Dordrech. et in Henotico dissecti Belgii.

sa quidem fuit; aliis tamen errandi occasio data mansit; nam horum conamina majori studio aggressus est *Jacobus Arminius* Batavus, Amstelodamensis Ecclesiae Pastor, qui suis *Calvini* errores suggerendo, Semipelagianas opiniones propinabat; hinc non tantum juventutem in partes suas attraxit una cum *Francisco Gomaro* Collega; (quorum discipuli alii *Arminiani*, alii *Gomariani* dicebantur) sed etiam Ecclesias earumque Ministros distraxit. Post *Arminii* mortem ejus Sectatores *Remonstrantes* dicti, *Conradum Vorstium* Coloniensem Theologum, de Socinianismo jam dudum suspectum promovebant; qui novis suis erroribus de *Deo* conceptis (Deum enim dicebat esse corpus, esse mutabilem, non esse eum immensum, omnipotentem. etc.) certo magnas turbas concitasset, nisi *Jacobus* Rex intercessisset, ac foederi se renunciaturum, nisi Haereticum dimiserint, minatus fuisset. Igitur *Vorstius* dimissus, et ad pacem Ecclesiae conciliandam, *Hagae* in ordinum conventu *Collatio super quinque Remonstantium articulis* instituta est. Ubi primum reconciliatio impossibilis apparuit; ideo *Orthodoxi* nationalem Synodum convocari petebant, cujus dilatio *Arminianis* vires crescendi occasionem dedit. Donec *Mauritius Philippo* fratri in principatu succedens, omnes Arminianos Ministros de Ecclesia, Senatores de curia deturbavisset, primipilos vero carceribus mancipavisset, inter quos erat *Hugo Grotius* Syndicus Rotero-

terodamensis, *a*) quem conjux ultra biennium in arce *Lovensteiniana* detentum, astu inclusum cistae loco librorum exportari Gorcum curavit; qui Antverpiam veniens literas ad ordines scripsit: se liberationem quaesivisse et invenisse, fecisseque quod omnes creaturae facere consveverunt, in posterum se adversus eos nihil tentaturum. Ceterum *Mauritius* praetensam Synodum nationalem 1618. convocavit *Dordrechum*, ubi post gravissimam deliberationem Arminianos tamquam a verbo Dei alienos, Ecclesiae Christi pestiferos esse invenerunt. Theologi Arminiani citati, auditi, convicti, et damnati ab Ecclesiis exclusi sunt. Versio Bibliorum in lingvam Belgicam certis Theologis demandata, et alia multa constituta sunt. Ceterum gliscens causa religionis seditio deinceps etiam multum turbabat reipublicae statum. Hodie in Belgio dominans religio est Reformata. Sunt quidem etiam Catholici, et aliarum religionum Sectatores, qui tamen ad nulla reipublicae officia applicantur, sed soli Reformati. *b*)

§. 5.

a) Calvisius in Chronol. Math. Mariana, et Joan. Philip. Ahelinus in Theatro Europae. *b*) Religionis statum in Belgio descripserunt etiam Hugo Grotius sub titulo: Pietas ordinum Hollandiae 1613. in 4. Item Decretum Ordinum Hollandiae contra libellum Luberti. Lugduni Batavorum. 1614. in 4. Joann. Vitebogardi opus. Roterodami 1614. in 4. Festi Hommii. Specimen Controversiarum Belgicarum Leydae 1618. in Friderici de Vives. Historia Ecelesiastica in Belgio. ibid. Et Acta Sy-

§. 3. *Status Politicus et Forma regiminis Belgii Foederati.* Belgium olim erat pars Galliae, nam *Julius Caesar* Galliam divisit in Belgicam, et Aquitanicam. Hinc longo tempore Belgium Burgundiae ducibus paruit, postea per matrimonium *Maximiliani* cum *Maria Burgundica* Ditionis Austriacae factum fuit, atque hinc Hispanica fuit potentia ut *Carolus V.* Imperator et et Hispaniarum Rex, omnes XVII. provincias Belgicas solus in sua potestate teneret, usque dum per defectionem septem provinciarum, aliud nominaretur Belgium Hispanicum trans Rhenum, quod in potestate Hispanorum deinceps etiam permansit; aliud autem Belgium Foederatum, quod Liberae reipublicae formam post defectionem assumsit; utrumque in suas provincias divisum, nempe Hispanicum in decem, Foederatum vero in septem, prout post funestissima et sangvinolenta bella, 1579. *Trajecti* solenne foedus ad tuendam libertatem inter se iniverunt *Geldria*, *Hollandia*, *Zelandia*, *Frisia*, quibus brevi se adjunxit *Transisalana* et *Groninga*, quae provinciae olim diversis principibus subjectae, demum per matrimonia ita coaluerunt, ut *Carolus V.* omnes possideret. Foederi originem dedit Belgarum Tumultus causa Reformationis exortus sub *Philippo II.* maxime ab odio *Inquisitionis Fidei* ad eos inductae,

---

nodi nationalis Dordracenae habitae 1618. prodiit Leydae 1620. fol.

ctae, quae iis qui a Catholica Religione desciverant intolerabilis videbatur; hinc quamplurimi nobiliores libertates suas laesas esse praetendentes, quum eas precibus obtinere non possent, inita confoederatione sensim armis victricibus extorserunt, et Rempublicam constituerunt. Quia vero singulae provinciae specialiter gubernantur, exceptis iis adjunctis, quibus Universa confoederatio influxum habet, ut fieri solet in Generali Ordinum Conventu: ideo juvat hoc loco unius provinciae uti *Hollandiae* Regiminis formam in medium adducere, ex qua aliarum etiam provinciarum ratio gubernandi facile observabitur: nempe qui suprema potestate pollent illi *Deputati* vocantur, hi eliguntur ex Nobilibus aut Civibus, et tales Deputati habent 18. vota, Nobiles vero unum votum. Hi Deputati constituunt *Consilium Majus*, quod imprimis *Hagae* celebrabatur. Initio Civitatum Deputati, Tribuni et Pensionarii tantum Sex Civitatum comparuerunt ad tale Consilium, successive additi sunt adhuc XII. Civitatum Deputati. Nobilium nomine comparet Senatus Hollandiae Pensionarius, simul hujus generalis Conventus Cancellarius est, qui negotia publica ordine proponit. Talium Deputatorum conventus quater per annum celebratur, nempe Martio, Junio, Septembri et Novembri mense, primis tribus omnia reipublicae majora negotia pertractantur, in quarto autem conventu imprimis bellicae virtutes praemiantur, et de reipublicae officia-

officialibus, eorum numero ac intertentione pro futuro anno decernitur; ab isto summo statuum Consilio alia omnia Consilia dependent: uti *Consilium Privatum* seu Secretum, cum quo deliberat Belgii summus *Praeses*, constat 10. vel 12. Consiliariis iisque Doctoribus aut licentiatis, hoc consilium sibi reservavit quid quid ad justitiam, jus et politiam pertinet, item inspectionem aliorum Consiliorum; nec non pro sua provincia condere leges, statuta, edicta etc. Aliud *Consilium* est *Recommendatorium* ex Civitatum deputatis et uno nobile constat. *Consilium Juris et Justitiae* administrationis. *Consilium Finantiarum* seu Camerae rationalis. Praeterea sunt alia minora Consilia in diversis Civitatibus. Dum autem totius Foederationis negotium pertractatur; Provinciarum Deputati conveniunt *Hagae*, in quo summo conventu omni Septimana alii et alii Provinciarum Deputati, Praesidium tenent: decernuntque de publicis rebus uti: de bello, pace, totiusque patriae regimine. Est etiam Consilium Bellicum. Olim habebant quaedam provinciae etiam summum Provisorem summa militari et politiae auctoritate praeditum, quod officium haereditarium erat Familiae Principum *Arausiacorum* in quinque provinciis usque 1703. quo anno officium summi Provisoratus desiit; Groninga tamen et Frisia deinceps etiam retinuit ex Familia Principum *Nasso-Diezi.* Proventus potissimum percipiunt ex subjugatis provinciis, quales in Asia et America

rica plures habent, item ex Commerciis cum Universo orbe habitis: nam ex sola Halecum piscatione 500. millia hominum vivunt. Foederati Belgii insigne est Leo aureus coronatus, bicaudatus, rubram lingvam habens, ungvibusque rubris semptem sagittas tenens. In numis quidem Belgicis videre est etiam hominem argenteum, manibus septem Sagittas tenentem, cum hac inscriptione: *Concordia res parvae crescunt.* Ceterum penes optima etiam instituta, Belgium Foederatum quo ad formam regiminis magnis mutationibus agitabatur; nam inde ab initio foederis summum Provisorem e Familia *Arausiaca* eligere solebant summa potestate, quam dignitatem post obitum *Vilhelmi* penitus abrogarunt; sed demum ob justum belli Gallici metum in *Vilhelmo II.* eam dignitatem jure haereditario firmatam restituerunt; quibus tamen nihil obstantibus, ob continuas dissensiones debile mansit Belgium adeo: ut modo Anglis, modo Gallis adhaereret; eorumque milites reciperet; imo invalescente bello Gallico, pro retinendo Reipublicae Batavicae honore, Flandriam et Brabantiam, cum 100. millionibus Flor. Gallis cedere debuit; a quo tempore Belgae eosdem cum Gallis hostes experiri debebant, quum autem variante fortuna Respublicae Europeae sensim per potentiores Principes attritae evanescerent, et Gallorum potentia semet extenderet, Belgae volente *Napoleone* ex ejusdem familia Regem obtinuerunt *Ludovicum*, qui brevi ob varias

populi

populi querelas ac militares exactiones, regiam dignitatem deposuit, quo facto Belgium redactum erat in formam provinciae Gallicae. Tandem 1814. everso Gallorum imperio, Foederati Principes in eo convenerunt, ut Utrumque Belgium denuo conjungeretur, et sub regni titulo etiam Regem acciperet *Wilhelmum Fridericum* ex stirpe Principum Arausicorum: qui etiam hodie in Belgio regnat. *a*)

§. 5. *Status Belli et Memoria Principum Virorum.* Belgas jam olim bello nobiles fuisse *Caesar* sic testatur: *b*) Gallorum omnium fortissimi sunt Belgae, propterea quod a cultu atque humanitate provinciae longissime absunt; quorum quantum erat libertatis defendendae studium, vel ex eo patet: quod Romanorum imperium summa vi evertere jam tempore *Julii Caesaris* conabantur, contra quos etiam Romani varias copias contraxerunt: quibus bellis magnam sibi auctoritatem, magnosque spiritus in re

---

a) Politicum Belgii statum fuse descripserunt. Marcus Zuerius Boxhornius de statu foederati Belgii. Hagae. 1659. Philipp. Caesius a Zesen. in cujus Leone Belgico, Amstelodami 1660. reipublicae incrementa, forma interior, potentia. interesse etc. recensentur. Martinus Schoockius, in Belgio foederato, Amstelodami 1665. generalem faciem reip. recenset. Joannes de Laet, In Rep. Belgii. Lugduni Batavorum 1630. Guilielmus Templaeus. Hagae. 1680. Henric. Ludolph. Benthems. Francofurti 1698. in 8. *b*) Julius. Caesar. L. 1. Comment. de bell. Gallico.

re militari sumserunt, prout recentioribus etiam seculis tot peregrini experti sunt. Quomodo autem Belgicae provinciae conjunctae erant, et in unum corpus coaluerint, ac ad *Carolum V.* ejusque filium *Philippum* pervenerint, sequentibus adumbrabinus: *Ludovicus Malanus* Comes Flandriae, Niverinae, Antverpiae et Mechliniae, post mortem vero matris etiam Comes Burgundiae et Artesiae, uxorem duxit *Margaretam* filiam ducis *Joannis* Brabantiae, quo matrimonio evasit simul Dux Brabantiae, Limburgi et Lotharingiae, suscepitque unicam filiam *Margaretam* omnium bonorum haeredem, nuptam *Philippo Valesio* duci Burgundiae 1369. reliquit liberos *Joannem, Antonium, Philippum Valesios,* item *Catharinam, Mariam et Margaretam,* qui omnes conjugio res suas auxerunt, nam *Catharina* nupsit *Leopoldo* Austriae duci, *Maria Amadaeo* Sabaudiae duci, *Margareta* Comiti Hollandiae et Hannoniae. *Antonius* vero patris voluntate Brabantiae, Lotaringiae et Liburgi dux renunciatus uxorem duxit *Elisabetham* Lucenburgi Ducissam, ex qua genuit *Joannem* Virum *Jacobae* Comitissae Hollandiae, et *Philippum* utrumque Brabantiae duces, quorum pater *Antonius* cum juniore *Philippo Valesio* in bello Gallico ad *Teroanam* 1415. occubuit: ejus vero filii supradicti sine haerede exstincti, patruum *Joannem Valesium* unicum haeredem ex virili stirpe superstitem reliquerunt. Hic igitur *Joannes Valesius* fratrum nepotumque obitu multis ditioni-

bus

bus auctus, brevi a *Carolo* Delphino 1419. trucidatus, liberos reliquit *Philippum*, *Margaretam*, *Isabellam*, et *Catharinam*. *Philippus* hic alias *Bonus* dictus aetatis 23. patri succedens Burgundiae, Brabantiae, Limburgi, Lutzenburgi Flandriae, Artesiae, Hannoniae, Hollandiae, Zelandiae, Namurci, Frisiae, Mechliniae et Marchionatus Imperii, Uxorem habuit *Isabellam* Portugalliae regis filiam, reliquit ex ea unicum filium *Carolum Audacem* dictum, qui paterna provincias auxit Geldria, Zutphania et ducatu Juliacensi, atque hic *Carolus Audax* erat *Caroli V.* Imperatoris Abavus, cui successit *Maria Maximiliani* uxor, ea quinto anno mortua, filius *Philippus* quinquennis puer sub tutela patris *Maximiliani* Belgium tenebat, quem ubi adolevisset pater *Maximilianus* ducem Belgii inaugurari curavit, *a*) eique uxorem dedit *Joannam Ferdinandi* Castellani filiam, ad quam regnum Hispaniarum, et sic ad ejus filium *Carolum V.* dein Imperatorem devolutum est. *Carolus* initio statim sororem suam *Mariam* Ungariae reginam Belgii Gubernatricem constituit, dein omne Belgium filio *Philippo* contulit, qui postquam Hispaniam quoque volente patre obtinuisset, mox *Philippus II.* Belgium regendum Sorori *Margaretae* Ducissae Parmensi commisit,

addito

a) Cuspinianus in Maximiliano, Philippus Cominaeus Hist. L. 5. et 7. Fabriczius. in orig. Saxon. Mariana de reb. Hispaniae.

addito eidem Consiliario *Antonio Perennoto* Cardinali Granvellano. *a*) Hoc igitur tempore initium datum est Reipublicae Batavicae, seu Foederis Belgici, unde sangvinolenta bella enata sunt in Belgio.

Philippus II. Hispaniarum Rex, Sororem suam *Margaretam* Belgii Gubernatricem constituens, simul eorum jura, Consvetudines, et privilegia contemnens, promiscue iis tributa imponere, militem exterum indűcere, Officiumque *Inquisitionis Fidei* inducere coepit: cumque Rex rogatus per legatos a coeptis desistere nollet, Nobilitas, quibus impositum jugum intolerabile videbatur, duce *Henrico Brederodio* confederatione inita, *Margaretae* Gubernatrici libellum supplicem obtulerunt petentes status emendationem et Religionis Protestantium permissionem. Hos supplicantes *Barlamontius* per contemptum *Geusios* id est mendicantes compellavit; interim supplicantium postulata quoniam necessario ad regem in Haspaniam referrentur, intelligerentque nihil aliud quam contra Belgas copias conscribi; plebs interea audaciam sumens 1566. *Wilhelmo Arausiaco* Principe, non exspectato regis responso, armata Catholicorum templa subito invasit, ea multis in locis diripuit, sacras imagines deturbatas confregit. *b*) Ad haec igitur 1568. venit ex Hispania a Rege missus *Ferdinandus Dux Albanus*

a) Thuanus L. 23. *b*) Idem. Hist. L. 40. 41. et 43.

banus qui Belgas in judicium vocavit, *Egmondanum* et *Hornanum* Comites aliosque securi percussit: *Arausiacum* et alios poscribens, bona eorum Fisco addixit, multa crudeliter in plurimos et in praejudicium libertatis constituit, gravissima tributa imperavit, et imperata acerbe exequi jussit. His rebus incolarum animis ab Hispanis amplius abalienatis, *Geusii* amicitiam armorum cum vicinis ineuntes, in prima pugna ad *Herclenum* foederati victi VII. signa amiserunt, quam cladem *Ludovicus Nassovius Arausiaci* frater clade ad *Vinschotum* reddiderat, amisso tamen fratre *Adolpho*. Altera etiam clade Foederati ad *Gemingam* septem millia hominum et 20. signa amiserunt; qua tamen calamitate *Arausiacus* haud territus novum exercitum in Belgium transposuit, quem etiam *Albanus* cunctando fregit, ducemque elusit adeo: ut exercitum in Galliam, inde in Germaniam reducere cogeretur; quo successu Hispanorum jam actum esse videbatur de Foederatorum rebus; *Albanus* enim quaquaversum ferro et igne Urbes evastans, variis suppliciis, decimis et vicesimis grassabatur. Interea *Wilhelmus Lumeus* Marciae Comes milite ex Britannis collecto, *Brilam* portum Hollandiae 1572. feliciter cepit et mare infestum reddidit. *Albanus* vero Urbes armis repetens *Harlemum* obsedit, et ad terrorem incutiendum *Antonii Pinteri* foederati caput e tormento in Urbem misit; obsessi autem XI. capita Hispanis abscissa remiserunt

cum inscriptione: *haec ad Albanum pro decima nondum persoluta deferuntur*, ceterum obsessi fame compulsi deditionem certis legibus fecerunt; quibus tamen violatis, 300. cives suspensi; 300. milites decollati sunt; quibus peractis tandem *Albanus* qua pestis Belgii in Hispaniam a rege revocatus, regis gratiam amisit; in cujus locum missus est *Ludovicus Requesenius* vir mitioris ingenii, cujus ductu etiam Hispani Victricia sua arma satis circumtulerunt; donec agente *Maximiliano* de pace actum fuisset *Bredae*, sed quum Hispani omnia sibi restitui postulassent, bellum denuo recruduit; *Requesenio* autem binneio post peste sublato, successit in Praefectura *Joannes Austriacus*. Verum foederati *Mathiam* Austriacum ducem sibi elegerunt addito ei Vicario *Wilhelmo* Arausiaco, quo duce foederati 1578. Amstelodamum sibi subjecerunt; interea *Joanni* Austriaco mortuo in Praefectura substitutus est *Alexander Farnesius* Parmae dux, qui regis Hispaniae ditiones et jura fortiter defendebat, sub quo tamen fluctuantibus aliis provinciis, an. 1579. Trajecti solenne foedus iniverunt Geldria, Hollandia, Zelandia et Frisia, quibus brevi adjunxit se Transisalana et Groninga, atque sic hoc modo ex his provinciis coaluit *Belgium Foederatum* magna sangvinis effusione consecratum: Sed bellum cum Hispanis in sequens etiam Seculum productum est plane ad 80. annos; reliquas enim 10. Provincias Belgicas porro Hispani retinuerunt.

Cele-

Ceterum 1581. Hagae Comitum *Edictum* ab ordinibus erat promulgatum, quo *Philippum* omni jure ac dominio Provinciarum Belgicarum excidisse declararunt. Quibus in adjunctis *Mathias* quum publicam defectionem ab Austriaca familia juste ferre non posset, Provinciarum administrationem deponens, Belgio excessit; in cujus locum ordines *Franciscum Alenconium* in Ducem Belgii elegerunt, *a*) qui erat *Henrici III.* Regis frater; hic a matre et aliis exstimulatus, non tam patrocinium quam servitutem Belgarum conceperat, sub eo *Dunkerka* et alia loca occupata quidem erant, sed mox Hispanis cesserunt; quare ordines ei imperium abrogarunt, quod tamen ad intercessionem fratris recepisset, nisi 1584. veneno periisset; quem secutus est *Arausiacus* a conducto *Balthasare Gerardo* siccario trucidatus, cujus mors magno damno ordinibus constitit, nam *Parmensis* Dux Hispanorum Praefectus Gandavum omnemque Flandriam recepit, expugnatisque Antverpia, Mechlinia, Neomago, ipsam etiam Brabantiam occupavit. Hinc graviora mala secutura praevidens *Elisabetha* Angliae regina, Belgium sub Patrocinum suscepit, moxque copias et Gubernatorem *Robertum Dudleium Lancastrium* expedivit; qui initio statim novis institutis et duro regimine ordines offendit, qua-

a) Chythraeus. in Saxon. L. 24. 25. Thuan. L. 70. — 75. Reidan. Ann. Holland. L. 2. et 3.

re Ordines Gubernium Belgii *Mauritio* Arausiaci filio juveni 20. annos nato detulerunt, qui etiam mox *Parmensis* Ducis Classem ad *Dukerkam* obsidens, multas inde provincias felici victoriarum cursu Hispanis eripuit. Interim 1592. *Parmensis* aetatis suae 47. mortuus et Parmae habitu Capucini sepultus, in Praefectura successorem obtinuit *Petrum Ernestum Mansfeldium*, quem *Ernestus Austrius* excepit; cui brevi mortuo ejus frater Albertus Austrius suffectus est, qui deposita Cardinalitia dignitate, *Isabellam* sororem *Philippi III.* in uxorem ducens, cum ea dotis nomine Belgium accepit, qui ductu *Francisci Mendoza*, *Caletum* Gallis, *Hulstam* vero ordinibus licet magna suorum clade eripuit: a quo tempore non armis modo sed etiam attentatis siccariis et veneno utrinque pugnatum fuit, quibus bellis *Ambrosii Spinolae* virtus adeo inclaruerat, ut Generalis Praefectus per Belgium proclamaretur; tandem 1609. post multas clades quoniam Hispaniae Rex *Philippus III.* Foederatas provincias liberas proclamasset, Navigationesque in Indias permisisset, pax 12. annorum conclussa est *Antverpiae.* *a*) Verum evoluto pacis tempore Belgae in confoederatione Gallorum, denuo contra *Philippum IV.* Hispanum arma verterunt ideo: quod is subditis suis omnia commercia cum populis foederati Belgii interdixisset, qui etiam bellum cum

a) Thuan. L. 130. — 138. Seth. Calvisius, in Chronol. Reidan. in Ann. L. 18.

cum Belgis mortuo *Alberto* et *Isabella* semper tamen infelici successu per *Ferdinandum* fratrem Cardinalem continuavit: *a*) licet autem constitutione pacis *Westphalicae* 1648. Belgica Respublica libera fuerit declarata, ejusque amicitiam omnes Europae Status expetierint; Angli tamen mox ejus potentiam veriti, omni mode frangere conabantur; unde enatum bellum initio Angli feliciter gesserunt, donec *Trompius XII.* navibus instructus tanta animi vi hostem aggrederetur, ut nisi perire vellet se ad littora Anglica recipere cogeretur; hic cum advenientibus Hollandorum centum Navibus se *Trompius* et *Ruiterius* conjungens, acri proelio Anglos superavit, eorumque clausas naves in conspectu Londinensium combussit; 1665. Ceterum ista clade quantum damni etiam Hispaniarum regi illatum sit, vix dici potest: tandem bellum hoc pace *Bredana* 1667. compositum est.

Pace hac *Bredana* exterorum hostium incursionibus securi Belgae, dudum gliscentes seditiones intestinas post mortem *Wilhelmi II.* palam

---

a) Cluverius. Epit. Hist. Univ. p. 810. Bella et turbas Belgicas usque ad inducias 1609. magna gravitate exposuit Grotius, quem continuavit de la Neuville Parisiis 1693. 4. volum. finit. cum pace Noviomagensi. Item Pieter Christiaens, Amstelodami 1681. fol. Georgius Leti Theatrum Belgicum, et Bizoty Abbatis Historia Hollandiae. Parisiis 1687.

palam agitare coeperunt praeunte *Joanne Witt* Hollandiae Praefecto, ejusque fratre *Cornelio* Consule Amstelodamensi, qui eo rem cum plebe deduxerunt, ut Hollandi et Ultrajectani promulgato *Edicto perpetuo*, Principis dignitatem penitus antiquarent ne *Wilhelmus III.* adolescens eam consequi possit. Inter haec *Ludovicus XIV.* Galliae rex foedus contra se initum a Belgis, Svecis et Anglis aegre ferens, omnium maximum paravit bellum; quare Angliae regem *Carolum II.* a foedere Belgico ad se pertrahens, mox cum suis amicis splendidoque 112. millium exercitu Belgas domesticis turbis intentos aggreditur, qui subito Geldriam, Cliviam, Transisalanam, Ultrajectum, partemque Groningae ferro ac igne devastans occupavit, qua Gallorum victoria consternati Belgae, omnem belli calamitatem Magistratibus attribuentes, consultius fore judicabant si sublato *Edicto perpetuo* Principis summi dignitatem denuo ad servandam Rempublicam reveherent; ideo *Wilhelmum III.* denuo Principem crearunt jure haereditario, qui inita cum Anglis et Electore Brandeburgico societate, non modo dissentientes Cives composuit, sed etiam bellum cum Gallis pace *Noviomagensi* ita confecit; ut omnes Reipublicae antea amissas possessiones recuperaret. 1670. et post novem annos etiam Magnae Britanniae coronam consequeretur. — Deinde Belgae Domum Austriacam pro successione Hispanica pecunia et milite adjuvantes, in congres-

su

su pacis Ultrajectinae, 1713. primum res de limitibus Belgii agitari coepit, dein 1715. Tractatus de finibus Belgii praesidio firmandis inter *Carolum VI.* Imp. et Belgas ad finem Antverpiae perducitur. Hinc quum milites dimissi fuissent, mox domesticae dissensiones renovatae sunt, potestasque Principis haereditarii legibus circumscribi coepit; quibus rebus quantopere reipublicae nocuerint, mox patuit in bello successionis Austriacae: quum enim *Mariae Theresiae* auxilio essent, Gallos adeo in se commoverunt: ut eorum impetui resistere non possent; quare ad salvandam rempublicam, primum Selandia dein reliquae etiam Provinciae *Vilhelmum VI. Frisonem* Locumtenentem suum receperunt; qui 13. Maji 1747. Caput omnium provinciarum, 15. Maji vero supremus Gubernator Societatis Indicae Orientalis, classis item et rei Militaris Praefectus ac Generalis Director renunciatus est; quae Locumtenentis dignitas pro masculis aeque ac feminis haereditariae successionis asserebatur ita: ut successor Religioni Reformatorum sit addictus. Cum autem *Vilhelmus IV.* anno 1751. obiisset, interim ejus conjux *Anna Georgii II.* Britanniae regis filia, donec filius *Vilhelmus V.* adolesceret Gubernatrix Belgii est declarata. Non de erant tamen domesticae factiones, quae *Vilhelmo V.* hanc dignitatem nefarie abjudicarunt; quarum temeritatem brevi *Vilhelmus II.* Borussiae rex cum exercitu coercens, legitimum Principem *Vilhelmum V.*

Arausia-

Arausiacum dignitati suae restituit 1787. similiter etiam a *Josepho II.* Imperatore Belgarum milites e finitimis Galliae locis exacti sunt; quibus damnis perculsi Belgae neglectam rem militarem amplius instaurandam decreverunt; et quum 1793. foedus *Pilnitzense* adoptassent, ut cumque fines suos contra Gallos defendere didicerunt, sequente tamen anno ad *Virovacum* magna clade affecti, post fugam *Vilhelmi Arausiaci* in Angliam 1795. Gallis cedentes, Gallicanae Reipublicae similem formam adoptarunt; quibus in adjunctis domi factionibus lacerati, Anglorum hostiles manus inse concitantes multum sibi nocuerunt. Nam postquam Gallia Reipublicae formam rejiciens realis imperii formam assumsisset, Belgica etiam respublica 1806, in regni formam redacta regem obtinuit *Ludovicum Bonaparte* a quo tempore in confoederatione Gallicana plures colonias amisit uti *Promontorium Bonaespei*, et insulam *Curasso*, Gallis item cedere debuit Flissingam Comitatum Heerenberg, et Dominia Sevennaer, Huissen ac Marburgum, item Seelandiam, Hollandicam Brabantiam et partem Geldriae, insuper contra Hispaniam et Austriam subsidia bellica toties quoties praestare compulsa est, accessit et commercii impedimentum: quae omnia quum in ruinam apertam Belgii tendere conspexisset *Ludovicus* Rex, 1810. sponte regiam dignitatem deponens, Belgium provincia Gallica evasit. Ceterum dum *Napoleon* Imperator ad *Lipsiam* decre-

decretorio proelio victus fuisset, 1815. mox *Wilhelmus Arausiacus* Princeps ex Anglia reversus consensu Principum foederatorum, Belgis Regia dignitate praesse coepit; et curas suas in emolumentum Civium convertendo, antiqua Privilegia et liberam navigationem, a qua Salus Belgarum dependet restituit: optimisque institutis tempori consentaneis ornavit; contra *Napoleonem* ex Elba elapsum, copias suas Anglis conjungens, foederi aliorum Principum Christianorum subscripsit, et ad reprimendam Argiritanorum temeritatem omnino utilem operam impendit.

§. 5. *Status Literarum et Artium in Belgio Foederato.* Rei Literariae statum in Belgio foederato elegantissime describit Doctissimus *Henricus Ludolphus Benthems a*) in opere suo, ubi agit de omnibus Viris in Ministerio, Academiis et Gymnasiis viventibus, horumque vitas et libros, historiam Academiarum, Controversias Theologicas, numos repraesentantes virorum Clarissimorum effigies et alia. Sunt autem praecipuae Academiae sequentes, uti *Franekerana* fundata 1585. *Groningana* 1614. erecta. *Hardevicana.* 1648. stabilita; *Lugdunensis* 1577. in Frisia erecta authore *Jano Dousa*, qui in sustinenda obsidione urbis Praefectus egregiam operam navavit, et *Musis* cum *Marte*

---

a) In Opere: Holländischer Kirchen und Schul — Staat. Francofurti. 1698. in 8.

Marte optime convenire suo exemplo docuit, nam 29. annis ejusdem Academiae Curator fuit Vir tanta doctrina, ut *Bataviae Varro*, et *Academiae commune oraculum vocaretur. Trajectana* 1636. aperta est. *Lovaniensis* frequentia collegiorum, studiosorum et Doctorum celeberrima. Alia etiam existunt *Collegia* uti: *Lilium*, *Castrense*, *Porci* et *Falconis*, quibus Philosophia traditur: est etiam trilingve collegium *Buslidianum* ubi Graeca, Latina et Hebraica lingva docetur, ad flagitationem nobilium Brabantinorum primum erat institutum, multisque privilegiis a *Joanne* IV. Brabantiae duce ornatum ac a *Martino* V. Pontifice 1426. confirmatum: ex quibus innumeri Viri Docti prodiverunt, et quotidie prodeunt, Viros enim omnium facultatum et Scientiarum olim et hodie celeberrimos fere producit Belgium; in his enim institutis prout quis mentem scientia peculiari aut religione inbutam habere cupit, promptissimos Magistros inveniet, quos omnes enumerare longum foret. In Flandria, Brabantia et Selandia praeter vernaculam Germanicam lingvam, communiter et Gallicam loquuntur. Nautae, Mercatores et Viri Literati etiam Latinam, Italicam, Hispanicam et Graecam noscunt; imo sunt qui Hebraicam, Chaldaicam et Arabicam callent. Imprimis autem quoad artes, Belgae rei navalis peritissimi sunt; dediti insuper artibus mechanicis non tam servilibus quam nobilioribus uti panni contexendi, lanificia et teles tractandi,

tape-

tapetiaque conficiendi, qae non tantum suis usibus inserviant, sed in reliquam etiam Europam, imo et Asiam ac Africam deportentur. In Picturis, in Musicis, in variarum lingvarum acquirenda cognitione nulla alia natio ita excellit. Oleo colores miscere primus docuit *Joannes Eickius.* Inveniuntur in Belgio Bibliothecae variis in locis, optimis rarissimisque libris refertae, inter quas *Lugdunensis* et *Lovaniensis* celeberrima est. Hinc plures exstiterunt Viri, qui scriptis suis Belgium illustrarunt: signanter Generalem Belgicae Historiae notitiam fecit *Valerius Andreas Dresselius*, in Bibliothea Belgica, et *Franciscus Swertius* in Athenis Belgiis. *Adrianus Pars* edidit Catalogum scriptorum Batavicorum et Hollandicorum a *Julio Caesare.* Lugduni Batavorum 1701. in 4. in quibus praeter justam dispositionem, etiam Doctorum de iis judicia enarrat. Ad statum Geographicum Belgii, praeter *Abrahamum Orteli* ac alios, nominatissimum opus edidit *Ludovicus Guicciardinus* latine versum Amstelodami 1655. in 12. item *Gregorius Leti* ac *Martinus Zeilerus.* Antiquitates Belgarum scripsit *Petrus Divaei* Antverpiae 1584. *Richardus de Vasseburg*, Verdunii 1549. fol. Generalem Belgii Historiam exhibent *Annales* seu *Historiae rerum Belgicarum* Francofurti 1580. in quibus Celeberrimorum Virorum opera continentur, uti *Jacobi Meyeri. Hadriani Bar-*

landi. Jacobi Marchantii. Ludovici Guicciardini, Philippi Gallaei. Alii sunt qui tantum certarum provinciarum Historiam descripserunt uti: Antiquitates Brabantiae *Joan. Bapt. Gramaye.* Bruxelis 1610. in 4. *Petrus Divaey* Antverpiae 1610 etc. Chronicon Flandriae *Jacobus Meyeri* et *Gramaye* Antverpiae 1611. *Maximilianus Vrientius* Lovanii 1614. etc. Historiam Luxemburgensem *Jaan. Bapt. Gramaye* Amstelodami. 1634. *Nicolaus Vignerius* Parisiis 1647. *Joannes Bartelius* Coloniae. 1639. etc. Marchionatum S. Rom. Imperii Antverpiensem illustravit *Joannes Geropius Becanus.* Antverpiae 1580. *Carolus Scribanius* Antverpiae 1610. etc. De secessione Belgarum a Jugo Hispanico , Doctissime commentatus fuit *Conradus Samuel Schurtzefleischius* Antverpiae 1577. *Jacobus Adamaeus* in Demologia Belgica, Franekerae 1595. *Richardus Hail* de primis causis tumultuum , Duaci 1581. etc. Compendium belli Belgici scripserunt *Adamus Henricus Petri* Basileae 1595. *Richardus Dinothus* Basileae 1586. ·etc. Ducum Militarium gesta scripsit *Hugo Grotius* Amstelodami 1629. fol. *Daniel Hansius* Lugduni Batavorum 1631. *Joannes Meursius* Amstelodami 1638. Belgicum bellum cum Gallis edidit *Antonius Aubery* Parisiis 1682. *Petrus Valckenier* Amstelodami. 1577. Ultrajectensium Chronicon edidit *Joannes de Becka* Franeckerae 1616. Item Celeberrima Collectio scriptorum *Petri Scriverii.* et

Marcus

Marcus Zuerius Boxhornius edidit Theatrum Urbium Hollandiae, Amstelodami 1632. Selandiam descripsit *Hadrianus Barlandi* apud *Scriverium. Levinus Lemnius* Lugdinui Batavorum 1611. *Matheus Vossius* etc. Geldricae Compendium edidit *Henricus Aquilius* Coloniae 1567. *Joannes Isacus Pontanus* Amstelodami 1639. etc. De Groningensi Urbe scripsit *Ubbo Emmius* Groningae 1646. *Joannes Maresius* ibidem· Frisiam conscripsit *Cornelius Kempius* Coloniae 1588. *Bernardus Furnerius* Amstelodami 1615. etc. Politicum Statum Belgii sripsit. *Marcus Zuerius Boxhornius* Hagae 1659. *Philippus Caesius a Zesen* Amstelodami 1660. *Joannes Laet.* Lugduni Batavorum. 1630. etc. Statum religionis, et rei Literariae edidit *Henricus Ludolphus Benthems* Francofurti 1698. in 8. et alii.

Caput IX.

Exhibens Historiam Borussorum.

§. 1. *Statistico Geographica notio Borussiae.* Borussia a borealibus Russis dicta, alias etiam *Prus-*

Prussia vocatur, ad occidentem habet *Vistulam* fluvium, ad Septemtrionem mare Balthicum, ad ortum habuit Alanos, ad meridiem *Hamaxobios.* Regio satis est foecunda, Poloniam enim et Lithvaniam bonitate excellit, aere temperato fruitur; abundat melle et apibus, est etiam magna vis pecorum et ferarum, unde laeta venatione etiam distrahuntur in vastissimis silvis contra ursos, apros, cervos, equos silvestres quorum carne incolae vescuntur. Borussi usque ad *Friderici* II. Imp. tempora erant Idolalatrae, quo imperante circa an. Ch. 1223. Religionem Christianam a Crucigeris ordinis Teutonici didicerunt, quorum dein Dominium pertaesi, ad *Casimirum* Poloniae regem defecerunt, unde post varia fata tandem *Albertus Brandeburgicus* Ultimus Crucigerorum Magister, Princeps secularis factus universum tractum in suam potestatem redegit. Jam olim Borussiam a *Veneduso* principe divisam fuisse tradunt in XII. Ducatus, uti *Sudoviam*, *Sambiam*, *Nátangiam*, *Nadraviam*, *Slavoniam*, *Bartoniam*, *Galindam*, *Warmiam*, *Hogerlandiam*, *Culmigeriam*, *Pomesaniam*, *Michloviam.* In Quibus variae Urbes famosae erant uti: *Lebenich*, *Regiomons*, *Valdonia*, *Brandeburgum*, *Ragneta*, *Tilsa*, *Vintburgia*, *Nordemburg*, *Jurgburg*, *Rastenburgum*, *Neiburgum*, *Passenbumia*, *Lucia*, *Luzenburgia*, *Strahburg*, *Wartemburg*, *Munhusia*, omnium

ma-

maxima *Elbinga* in littore maris exstructa, ac a mercatorum frequentia celebris. *Torunia* ad Vistulam fluvium patria *Copernici* celeberrimi Astronomi. *Aldusia*, *Gaudentz*, *Rogosna*, *Marienburgum* 1402. exturcta, *Menticha*, *Rosenburga*, *Strasburgum*, hodie celeberrima metropolis est *Berolinum*. Fluvii praecipui sunt: *Vistula*, *Nemeini*, *Cromon*, *Nogat*, *Elbinga Passaria* etc. In littoribus Borussiae ad mare Balthicum Succinum colligitur quod Graeci electrum vocarunt. Habet Borussia et silvas caeduas, unde magna copia lignorum ad navalem usum et domesticum convehitur, quare ad malos navium ad remotissimas etiam oras devehuntur. Barussia hodie Regibus propriis paret, et suis constitutionibus gubernatur. Religio Lutérana et Reformata imprimis viget, Catholica etiam sparsim invenitur. Proventus Borussiae quinque milliones non excedit, tempore tamen pacis 50. millia armatorum intertenere potest. 40. naves bellicae continuo strare possunt. Incolae sunt bonae staturae, insatiabiles, Spirituosos potus amantes, excellentis ingenii, ad gravissimos labores nati. *Regiomonti* tria suprema Fora habet, uti *Forum Appellationis*, *Aulicam Cameram*, et *Consistorium*, hic res religionariae pertractantur. Complures Academias sinu suo complectitur ex quibus Celeberrimi Viri saepe prodeunt. Generatim Artibus mechanicis intenti, merci-

mo-

monia non exiguo emolumento cum vicinis et remotissimis etiam gentibus exercent. *a*)

§. 2. *Status Religionis et Consvetudinis*, De Religione et ritibus antiquorum Borussorum mira narrat *Meletius: b*) Coluerunt nempe Demonia pro Diis; immunda quoque animalia, uti serpentes tamquam famulos deorum religiose venerati sunt quos domi nutriebant, iisque litabant; crediderunt Deos in silvis habitare, ibique illis victimis immolandum esse ut placarentur; Solem et Lunam Deos omnium primos crediderunt; Tonitrua et fulgura ex consensu gentium adorabant, dixeruntque precationibus tempestates avertendas esse. Hirco in Sacrificiis usi sunt. Praecellentes arbores ut quercus, Deos inhabitare dixerunt, quare teles arbores nec caedebant, sed religiose ut Numinum domos colebant; in tali Idolatriae statu erant Borussi usque ad tempora *Friderici* II. Imperatoris, quo regnante *Conradus Boleslai* regis Poloniae tutor contra Prussos provinciam ejus *Mazoviam* infestantes, evocavit *Crucigeros* Ordinis Teutonici, qui post occupatum

---

a) Borussiae Chorographiam vide apud Casparum Hennenberger. Regiomonti. 1595. fol. Jacobum Lydicium, qui edidit notitiae ducatus Prussiae delineationem Generalem et Specialem, Vittebergae 1677. Antiquitates Borussicas scripsit Erasmus Stella. Basileae 1518. in IV. libris. *b*) Meletus, Epistola 10. ad Georgium Sabinum.

patum a Turcomannis regnum Hierosolymitanum in Europam transmigrarunt, iisque sub spe melioris successus Culmensem tractum et quidquid inter Vistulam ac Druencios fluvios erat tradidit; qui etiam brevi Prussos vicerunt, iis religionem Christianam proposuerunt, *Thorunium* ut religionis Urbem condiderunt; sicque crescente Christianorum numero plures Episcopatus sensim fundati sunt, erantque in ducatu Borussico duo Episcopi nominatissimi uti: *Sabiensis* qui Regiomonti seu Konigsbergae sedet, item *Pomesaniensis* qui in Marienwerden habitat, quibus jurisdictio Ecclesiastica integra et non impedita est. Equites Crucigeri in Borussia sicut posessiones ita etiam rem Christianam propagarunt et conservarunt usque ad *Albertum* Marchionem Brandenburgicum, qui ultimus Magnus Magister Ordinis Teutonici erat; hic enim deserta religione 1525. Princeps Secularis factus, *Ecclesiae Fratres* dictos Haereticos, qui Bohemiam et Moraviam nimis turbabant, inde ejectos et proscriptos in Prussiam ducalem ad se invitans, reformationem per tumultum plebis instituit opera *Pauli Sperati*, *Andreae Osiandri*, *Joannis Funecii:* in Regali Borussia vero *Joannes Solcius* propagavit. Sub Patrocinio igitur *Alberti Brandeburgici* libertatem religionis exercendae solenniter Reformati obtinuerunt. Verum in Regali Borussia *Joanni Solcio* res male cessit, nam *Sigismundus* I. Poloniae rex urbem

t *Dan-*

Dantisci occupans ejus conatibus non modo restitit, sed eum cum aliis tredecim sociis capitis supplicio affecit; quo facto Romana religio rursus restituta, sed brevi denuo pulsa hodieque exulat. *a*)

§. 3. *Status Politicus, et forma regiminis.* Historia Borussorum commodissime considerari potest prout Borussiae status in quatuor Epochis magnas mutationes subiverat. *Prima* Epocha exhibet statum Borussiae ante tempora Equitum Ordinis Teutonici: *secunda* sub Equitibus Ordinis Teutonici. *Tertia* sub Ducibus: *quarta* sub Regibus. Et quidem I. Status Borussiae antiquissimus ante tempora Equitum Ordinis Teutonici, signanter jam ante *Christum* natum notissimus fuit succini causa, quod in littoribus Borussiae ad mare Balthicum colligebatur, quod incolae vocant *Barnstein* ab urendo, et *Augstein* quod oculis prosit. Hujus regionis antiquissimi incolae gentilium idololatriae erant addicti, quorum primus Rex et Legislator fuisse dicitur *Waydevutus.* Ceterum imprimis noti evaserunt ob crudelitatem circa annum Ch. 998. postquam *S. Adalbertum.* ad *Fischausen* occidis-

---

a) Abraham Scultetus in Annal. Eccl. Thuanus Hist L. 38. 41. 43. 46. Lasicius L. 5. de gestis Fratrum. Vide et Historiam rerum Borussicarum Caspari Scútzii, prodiit Servestae 1592. Davidis Chytraei. Lipsiae 1599. Christophori Hartnoch. Francofurti 1684. ubi praeter religionem et Politicam, etiam Historiam Magistrorum Teutonicorum fuse describit.

dissent, qua ex causa *Boleslaus I.* Poloniae rex circa 1000. annum eos bello persequens proelio superatos sub jugum Polonorum misit; quod saepe excutere tentantes, tandem penitus compescuit *Conradus* Massoviae princeps, qui in auxilium evocavit Equites Ordinis Teutonici: atque hic incipit II. *Epocha Borussiae*, cujus Status regiminis sub Equitibus Ordinis Teutonici ut clarius intelligatur, originem Equitum hanc damus: Temporibus expeditionibus Cruciatae in terram Sanctam, Hierosolymae tres erant instituti Equitum Sacrorum Ordines uti I. *Hospitalariorum* seu *Johannitarum.* II. *Templariorum.* III. *Teutonum* qui sedem habuerunt Ptolomaidae. Verum hi ex Sacris terris, quas vi votorum securas pro Christianis peregrinatoribus conservare obligabantur, post varias rerum eversiones per Turcomannos pulsi in tota Palaestina tutum non invenerunt locum. *Johannitae* seu S. *Mariae Hospitalares* eo tum Rhodum occuparunt, ex quo tempore *Rhodii* appellari coeperunt, et demum amissa Rhodo, *Maltam* obtinentes, *Maltenses* dicti sunt. *a*) *Teutonici* seu *Crucigeri* dicti in Germaniam venerunt, unde a *Conrado Massovio* evocati contra rebelles Borussos felici armorum successu in Borussia sedem fixerunt anno 1225. rem Christianam sicuti et possessiones suas in posterum propagaturi. Ubi re-

a) Templarii circa an. 1311. ab ipsis Christianis Principibus exstincti sunt, quum desertae religionis suspecti fuissent.

vera Equites Ordinis Teutonici a militari disciplina clari, gravissima bella cum Polonis, imprimis cum *Uladislao Jagellone* gesserunt: tandem post mutuas regionum devastationes, cruentissimis cladibus fessi, Poloni et Crucigeri regnante *Casimiro IV.* Poloniae rege tandem pacem fecerunt his conditionibus: ut Borussia dividatur in *Ducalem* et *Regiam*, ac parte ulteriore seu Ducali Crucigeris concessa, ipse ordinis summus Magister esset Regni Poloniae beneficiarius; atque sic Imperium Equitum ordinis Teutonici in Borussia duravit 300. annos nempe ab a. 1225. dum primus Magister erat *Henricus Walpot*, usque ad annum 1525. quum ultimus Magnus Magister ordinis Teutonici fuit *Albertus* Marchio simul Brandenburgicus; qui a Poloniae rege *Sigismundo I.* Dux Borussiae creatus est ut secularis jam princeps ea lege: ut partem Borussiae in ducatu Kinsbergensi cum posteris suis legitime susceptis, etiam in terra Sambia regnaret titulo fiduciario, et si virilis sexus liberi deessent, totus Ducatus Feudali jure ad regnum Poloniae devolveretur. *a*) Atque ab hoc tempore Borussia in duas partes divisa est, quarum citerior vocatur *Borussia Poloniae* seu *Regalis*; ulterior vero *Borussia Ducalis* seu *Brandenburgica.* Hicque incipit III. Epocha, prout status Borussiae sub Ducibus consideratur: quales duces inde ab an. 1525. usque ad annum 1688.

a) M. Cromerus in oratione Funebri Sigismundi I. Salomon Neigeb. Hist. Poloniae L. 7. et 8. Sleidanus L. 5. Thuanus L. 1.

erant octo; sub quibus *Ducalis Borussia* antea fratrum Crucigerorum Teutonici ordinis propria nunc sub *Alberto Brandenburgico* ordinis Magistro in haereditarium Ducatum conversa, ac ab imperio Germanico avulsa in Poloniae regis fidem et clientelam venit; de cujus statu publico et politico haec sunt notanda: Dux Borussiae primum locum apud Poloniae regem in Consiliis, Comitiis, aliisque conventionibus tenet. Si lites inter Regem et Ducem exorirentur, a Consiliariis Regis novo juramento obstrictis *Marienbergi*, aut *Elbingae* dirimuntur. Nobiles aut alii Cives contra Ducem actionem habentes, coram Ducis Vasallis a Duce ad id judicium denominatis eam instituunt: a quibus libera provocatio ad Regis et Ducis Consiliarios *Marieburgi* constitutos permittitur. Ceterum omnis ad judicium vocari debet ubi ejus bona sunt, aut ubi reus habitat; ad extranea enim judicia nunquam provocantur, neque a praetensionibus suis justis detineri possunt. Administrabant aulicum judicium quinque originarii nobiles et tres jurisconsulti. In omnibus autem provinciis Princeps unum ex tribus canditatis eligebat, qui secundum *jus Culmense* et Constitutiones justitiam administrare debebant. Si vero Princeps quidpiam contra jura, libertates, et privilegia fecisset, neque ad subditorum suorum preces factum suum emendasset, liberum erat ordinibus provinciae absque ulla rebellionis aut conjurationis culpa ad Poloniae regis patrocinium recurrere, et vigore pactorum inter regem et Du-

cem initorum, ab eodem privilegiorum suorum defensionem postulare. — *Borussia autem regalis* licet immediate Regi Poloniae subjecta fuerit, eodemque cum Polonis regno contineretur, tamen quo ad administrationem publicam, peculiare Regium Consilium, leges, judicia (a quibus tamen ad Regem appellatio fiebat) aerarii et artis bellicae rationem habuit. Ita Borussiae Regalis Consiliarii erant XIV. duo Episcopi *Varmiensis* et *Culmensis*, tres Palatini uti *Culmensis*, *Mariaeburgensis*, et *Pomeranicus*. Tres Castellani *Culmensis*, *Elbingensis* et *Gedanensis* seu *Dantzkanus*, tres Succamerarii et tres primariae Civitates uti *Turnia*, *Elbinga*, *Dantiscum*. Hi ad dirimendas lites et justitiae administrationem omni anno bis, nempe mense Majo *Mariaeburgi*, et Mense Septembri convenire solebant. Porro ad Politiae vigilantiam Capitanei seu Praefecti artium et proventuum regiorum erant XVIII. Atque in tali statu erant Borussi usque annum 1688. quo anno *Fridericus* I. Elector Brandeburgicus patri suo *Friderico Wilhelmo* Duci succedens, eo curas suas convertit, ut mores aliorum principum, faustissimis auspiciis Regiam dignitatem in familiam suam Augustam, et regnum Borussiae inferret, qui etiam consentientibus aliis Europae Principibus, a. 1701. *Fridericus I. Borussiae rex* appellari voluit; quam regalem potentiam idem amplissimis ditionibus obtentis feliciter auxit; mortuo enim *Wilhelmo III.* Anglorum rege, jure Arausionen-

nen-

nensis Principatus seu *Oranien*, item Ducatum Neoburgensem seu *Neuschatel* obtinuit: ac stabilitis antiquis Borussorum constitutionibus, novisque pro re nata institutis, Borussiam jure haereditario in successores Masculini sexus extendit; et ab hoc tempore cuncti successores in amplius Borussiae emolumentum pro virili sua conamina convertunt in hodiernum usque diem. *a*)

§. 4. *Status Belli et Memoria Principum Virorum.* Antiquissima Borussorum facta sunt obscura, ipsorum tamen primus Rex et Legislator fuisse dicitur *Maydewwutus*, sub quo certam formam regiminis habuisse videntur; imprimis tamen a bellicis factis Borussi inclarescere coeperunt circa a. 998. cujus rei occasio erat S. *Adalbertus* Episcopus Pragensis, qui Bohemos ob malam vitam deserens, postquam plurimos Hungarorum ipsumque *S. Stephanum* regem convertisset ad fidem, *b*) in Polonia Archi Episcopus Gnesnensis creatus, mox Episcopatu *Gaudentio* commendato, in Borussiam ad infideles convertendos concessit, sed ab ipsis ad *Fischausium* occisus et martyrio coronatus est; cujus Corpus *Boleslaus* Bolonus, quum Barbari

---

a) Nicolaus Leuthingerus, qui 45. libris commentariorum rerum Statum descripsit Borussiae. Item Compendium Anastasii Probi, Clavis Historico Politica ad Contemplationem amplissimi Electoratus Brandenburgici sub Friderico Wilhelmo. 1682. Branderburgi. *b*) M. Cromerus. L. 3. Fabric. in Chronol.

ri tantum argenti seu auri quantum corporis pondus adaequaret pacti essent, miraculose levissimum pondus obtinens redemit et *Gnesnam* in Basilicam transtulit. Hujus igitur *S. Adalberti* caedem *Boleslaus I.* Rex Poloniae bello vindicandam statuens, Borussos variis proeliis profligatos sub jugum misit; qui dum jugum impositum saepius excutere attentassent, tandem ad eorum temeritatem frangendam circa annum 1223. *Conradus* Massovia princeps contra infestos Prussos, Crucigeros ordinis Teutonici evocavit, iisque Culmensem tractum, et quidquid inter Visculam ac Druencios fluvios erat tradidit; qui etiam mox post felices victorias ad ripam Vistulae *Thorunium* Urbem condiderunt, sicque antiquos Borussos aut in clientelam receperunt, aut inobedientes exstirparunt; in quorum locum plurimos Germaniae populos in Prussiam evocantes, ibidem sicut Principatum ita et religionem Christi stabiliverunt; imo quum successive Prussiae regionibus non contenti, Poloniae fines etiam hostiliter lacesserent, varia bella diverso fortunae exitu cum Polonis gerere cogebantur; donec *Albertus I.* Marchio Brandeburgicus ultimus Ordinis Teutonici Magnus Magister circa an. 1525. ipse Secularis Princeps factus, ordinem Crucigerorum sustulisset. Hic enim *Albertus* Crucem *Christi* deponens *Lutheri* Doctrinam non ipse solum adoptavit, sed etiam

---

a) Cromerus L. 8. Nauclerus. generatione 41.

etiam suos socios et subditos Prussos ad eam sequendam permovit, ductaque sibi in uxorem *Dorothea* Daniae regis filia, a *Sigismundo I.* Poloniae rege Borussiae Dux renunciatus est ea lege: ut partem Borussiae in ducatu *Kinspergensi* cum posteris suis legitime susceptis haereditario jure, titulo fiduciario teneret; et si virilis Sexus liberi deessent, Ducatus ejus Borussiae, jure Feudali ad regnum Poloniae devolveretur. Ab hoc igitur tempore dupplex Borussia existit, nempe *Borussia Polonica*, et *Borussia Brandeburgica.* *a*) *Albertus I.* postquam in Bohemia proscriptos *Fratres* in Borussiam recepisset, Doctrinam Lutheri in Borussiam publica lege introduxit, ejusque patrocinio ea nimis adolevit usque an. 1574. in cujus Doctrinae favorem etiam Universitatem Regiomontanam fundavit. In Borussia *Albertini* *b*) Duces universim octo regnarunt, quorum ultimus erat *Fridericus Wilhelmus* potentissimus Elector Brandenburgicus, qui initio etiam beneficiarius erat Regnum Poloniae, verum beneficio *Casimiri IV.* Poloniae regis, Borussia sui juris declarata

est:

---

a) Cromer. in orat. Funeb. Sigismundi I. regis Salom. Neigeb. Hist. Polon. L. 7. et 8. Sleidan. L. 5.
b) Georgius Sabinus de appellatione Marchiae Brandeburgicae Helmstadtii 1597. Martini Praedrii. Marchiados Libri duo. Argentorati 1594. Christoph. Theodori. Schosserius. Magdeburgi 1617. Martinus Zeilerus. Topographia, Francofurt 1652. et Nicolai Leutingerii Commentaria. etc.

est: ac proin *Fridericus Wilhelmus* absolutum dominium in Borussiam introducens, obiit a. 1688. cui successit filius *Fridericus I.* Regiae dignitatis assertor. *a*)

Reges Borussiae.

Fridericus I. ad summum honoris fastigium Augustam suam Familiam evexit quum an. 1701. consensu *Leopoldi* Imperatoris, faustissimis auspiciis primus Borussiae regis titulum assumsisset: insuper augebatur ejus potentia jure *Arausionensis* principatus nec non Ducatus *Neoburgensis;* ornavitque regnum variis politicis suis institutis ac splendidissimarum aedium erectionibus, fundatorque exstitit Celeberrimae Universitatis *Halensis Fridericianae* dictae, item Eruditae societatis *Berolinensis* quibus utilissimis curis intentus, obiit 1713. et successorem reliquit

Wilhelmum I. Friderici II. filium omnibus ad regendum dotibus imbutum, optimumque regem, qui inita cum Svecis amicitia, potentiam et reditus publicos regni et provinciarum nimium adauxit. Salisburgenses causa religionis libertatibus suis privatos, in regnum suum nonmodo evocavit, sed iis etiam jure civita-

a) Samuel Puffendorfius res gestas Friderici Wilhelmi magna prudentia exposuit. Berolini 1695. Joan. Frider. Cromerus. Georgius Götzius. Jenae 1670. etc.

vitatis agros et fundos donavit. Jure Arausiaco obtinuit post mortem *Wilhelmi III.* Angliae regis principatum *Mursiae*, prout et insulas *Usedoniae* et *Wollinianae* acquisivit. Summam curam in Militiae organisationem convertens, rem militarem multum illustravit, justitiae administrationem stricte observari praecepit, culturam et Civium industriam erectis novis officinis auxit, pro majori subditorum emolumento ac publici utilitate, sumptus publicos et praestationes fixa lege instituit; quibus curis fatigatus mortuus est. a. 1740. et successit ei filius

Fridericus II. ob praestantissimas virtutes sapientemque regni administrationem *Magnus* dictus, belli et pacis artibus inclytus Heros, tranquillitatis causa enixe in augendis et percolendis suis provinciis incubuit, hinc agriculturam, varias artes et mercaturam sapientissimis suis institutionibus amplificavit; Asiaticam Mercantilem societatem uti et Foenerationem Berolinensem instituit. Utque ipse literis erat eximie cultus, ita Virorum Celeberrimorum non modo Fautor, sed socius et amicus continuo exstitit; ex quorum consvetudine captis saluberrimis consiliis utiliter rempublicam administravit: Justitiae administrationem in desideratum pridem ordinem redegit, iniquas explorandae veritatis torturas sustulit; Otiosos cives erectis publicis officiis ad laboriosam vitam ducendam stimulavit. Bellicosissimus alias prin-

ceps,

ceps, per totam fere vitam gravissimis et acerrimis bellis implicitus, ea variis temporibus cum *Maria Theresia* Imperatrice et Regina Hungariae causa Sanctionis Pragmaticae varia fortuna gessit, Celeberrimum ejus bellum fuit septennale Borussicum: in quo Virtus Hungarorum imprimis eluxit. Similiter etiam cum Saxonibus, Russis, Gallis et Svecis prospero successu bellavit, ad quas celebres victorias reportandas plurimum contulisse videtur ejus continua in bello praesentia; hinc etiam disciplinam militarem inter omnes sui temporis Principes ad sumum culmen perduxit. *a*) Vitio tamen eidem maximo tribuitur vilipensio Religionis. Obiit 1786. cui successit ejus nepos ex fratre:

Wilhelmus II. mox ut regni gubernacula suscepit, potentiam suam accessione *Onoldini* et *Birutini* principatus non parum auxit; Hollandicas vero contra *Arausiacum* Principem concitatas turbas felici armorum apparatu dissolvens, eundem principem pristinae dignitati restituit 1787. cumque observasset malecontentorum animos exquisita quadam impietate eo temeritatis jam processisse, ut specioso quodam titulo omnem Civium tranquillitatem interverterent: ideo 1789. salutari Edicto, praemeditatis dudum impietatibus proptum remedium tulit: quod ab interveniente revolutione Galli-

a) De Vilhelmo I. et Friderico II. vide Schröckium, Remerum, et alios.

licana labefactatum, non minore solertia inito cum *Austriaca a) Domo* foedere egregie sustentavit, Imperiique Germanici jura contra Gallos expeditionem sumendo viriliter defendit; pro quo amico foedere partem laceratae Poloniae accipiens, pacemque cum Gallis iniens; relictis post se optimi Principis monumentis, animam Creatori reddidit 1797. die 16. novemb. Cui successit filius *Wilhelmus III.*

Wilhelmus III. mox ut pacem Basiliensem se observaturum spopondisset, curas suas eo convertere studuit, ut liberum commercium et usum navigationis pro virili defenderet, in quem finem utilismum foedus inivit cum Russis, Danis et Svecis. Porro 1803. in recompensationem provinciarum trans Rhenanarum Gallis concessarum, novas in Germania ditiones uti Erfurfurtum, Eichsfeldam, Hildesheimium, Paderborn et alias obtinens, iisdem post duos annos Hannoveram junxit: interim ut primum *Napoleonis* consilium de Hannovera Anglis restituenda intellexisset, mox Saxoniae Ducis auxilium expetens, Gallis licet infelici successu bellum denunciavit, ad *Jenam* enim tanta clade attritus erat, ut vires suas ne quidem Russorum viribus restaurare valeret, qua belli calamitate pace *Tilsitensi* mediam partem provinciarum suarum Gallis

a) Vide Bellum Populi Gallici adversus Hungariae Borussiaeque reges eorumque Socios. Ern. Ludov. Posselt, Gottingae 1793.

Gallis cedere cogebatur; quam rerum jacturam 1807. deinceps alma pace restaurare intendebat donec *Napoleon* bellum Russis denuncians, auxilium 20. millium militum contra Russos statuendo, damna priora resarciendi occasionem nancisceretur. Interim 1812. *Napoleonis* splendidissimus exercitus in Russia non tam armis quam inaudito frigore consumtus, eum produxit effectum, ut Borussi separata duce *Yorkio* militia, neutralitatem deinceps promittere cogerentur. Quibus in adjunctis *Wilhelmus* optimam a Jugo Gallico semet liberandi occassionem videns, publico decreto validissimum suum exercitum contra Gallos convertit: quos etiam opera celeberrimorum Ducum uti *Blücheri*, *Bülovii*, *Trauenzienii*, *Kleistii et Yorkii* magnis cladibus profligavit; ac vigore pacis *Parisiensis* et Congressus *Viennensis*, magna ex parte ditiones antea amissas recuperavit. Prout autem se Foederi 1815. Germanico univerat, in divisione Regni Poloniae accepit Ducatum Varsaviensem, Inferiorem magnum Ducatum Rhenanum, Ducatum Bergensem, et ditiones stirpis Nassau Oraniensis; Regiones vero Lauenburgicas cum Svecica Pomerania commutavit. Ipse vero ex antiquis Borussiae ditionibus concessit *Russo* partem majoris Poloniae: *Bavaro* principatum Onoldinensem et Biruthinum. Regi vero *Hannoverano* Hildesheimium cum vicinis Urbibus, item Frisiam orientalem. Sic restituta desiderata pace, in civium emolumentum magno fructu incum-

cumbens, sapientissimis suis institutis omnem Reipublicae partem feliciter ornat.

§ 5. *Status Literarum et Artium.* Borussi olim Barbari et Literarum rudes fuerunt adeo: ut nec credibile putarent, si quis diceret homines interse posse aperire quae sentiant et velint beneficio literarum: de quibus erudite disserit *Erasmus Stella.* *a*) Hanc barbariem dein assumta religione Christiana sensim deponentes, amplius se in literis et artibus percoluerunt. Cum vero ad Doctrinam Lutheri transivissent, *Albertus I.* Dux ad amplius irradicandam eam Doctrinam, circa an. 1560. fundavit universitatem *Regiomontanam. Fridericus I.* Rex Borussorum in majus subditorum suorum commodum itidem fundator exstitit Universitatis *Halensis* seu *Fridericianae.* Berolini vero celebrem Societatem Scientiarum condidit; uti et ejus pater *Fridericus Vithelmus* Literas aestimare sciens, *Theutoburgi* Scholas publicas aperuit, *Berolini* vero Bibliothecam exquisitis operibus refertissimam aedificavit. Societatem mercatorum instituit, eorumque negotiationem in Guineam aliaque Afriae littora extendit. Similiter etiam *Fridericus II. Magnus* ipse Literatus Viros doctos ex variis Europae regnis ad se venientes coluit, eorumque consiliis in administranda republica plurimum uti voluit; qualibus Praestantissimorum Ducem et Regum fauoribus provocati Viri, ma-

---

a) De Antiquitatibus Borussiae. L. 2.

mature Borussiam institutionibus aut scriptis suis utilissimis illustrarunt: sic Boruisse chorographiam egregie edidit *Caspar Hennenbergerius.* Regiomonti 1595. *Jacobus Lydicius* Ducatus Prussiae delineationem generalem Wittebergae 1677. *Erasmus Stella* Antiquitates Borussicas IV. libris scripsit Basileae 1518. Historiam rerum Borussicarum nitide edidit *Caspar Schützius* adjectis Magistrorum Ordinis Teutonici insignibus. *Servestae* 1592. fol. continuavit *David Chythraeus* usque annum 1599. *Petri Dusburg* Chronicon Borussiae ab anno 1226. usque ad 1435. cum animadversionibus *Christophori Hartknochii.* Francofurti 1679. in 4. *Conradus Samuel Schurtzefleischius* res Prussorum edidit in dissertationibus. Historiam vero Regiae Coronationis Borussicae edidit *Eccardi* 1701. in 4. *Joannes a Besser* Coloniae ad Spream. 1702. Coronationis Borussicae acta, cui se primum opposuit *Clemens XI.* Pontifex, dum per Bullam 16. Aprilis 1701. publicatam, eandem infirmare conaretur. De Variis autem Borussiae provinciis itidem varii scripserunt: uti De Marchia Brandeburgica *Georgius Sabinus* Helmstadii 1597. *Martinus Praetorius* Argentorati 1594. *Martinus Zeilerus* Francofurti 1652. *Nicolaus Leuthingerus. Becmannus. Helmericus* et *Samuel Pufendorfius.* Magdeburgensium Historiam ediderunt: *Joannes Pomarius* Magdeburgi 1687. *Sebastianus Bessel Meierus.* apud *Schardium* Tomo II. Halensis Urbis descriptionem dedit *Gothofredus*

fredus Olearius. Lipsiae 1667. *Christophorus Cellarius* Junior, Halae 1697. Cliviae Historiam scripsit *Vernerus Teschenmacherus* Arnhemii 1638. *Levordi Northof* Chronicon Comitum de Marka et Altena, cum notis Meibomii Halae 1613. Pomeraniam descripsit *Georgius Valentinus Wintherus* in Baltho Pomeranico Libris IV. Lugduni 1620. *Conradus Samuel Schurtzfleichius.* Vittebergae 1673. *Danielis Crameri* dupplex Chronicon. Stettini 1628. fol. De rebus Halberstadensibus et Mindensibus disserit *Guilielmus Budaeus* et *Casparus Sagitarius* per singulos Episcopos. Jenae 1575. item *Joannes Crusius* in Chronico Mindensi. Mindae 1675. etc.

Caput X.

Exhibens Historiam Polonorum.

§. 1. *Statistico-Geographica notio Poloniae.* Olim Polonia vocata fuit *Sarmatia* dein a Slavinis populis ob terrae planitiem *Polonia* vocari coepit, prout et incolas nonnulli derivari credunt a primo eorum duce *Lecho*, cujus posteri *Polacki* dicebantur. Vasta haec regio terminos habet ab oriente Moscoviam; ab occidente Sile-

siam; a Meridie Hungariam, Valachiam et Tartariam Europaeam; a Septemtrione Borussiam, Pomeraniam, Livoniam et Curlandiam. Regio omnis habet aerem purum sed frigidum, abundat tamen fructibus, cera, melle, butyro, gaudet etiam salis et aeris fodinis in montium jugis. Armentis maximis Saxoniam aliasque Germaniae provincias intertenet, praeterea videre est hic omnis generis animalia, magnamque pecudum et ferarum uti et avium copiam. Dividebatur olim Polonia in *Poloniam Majorem*, *Minorem*, *Russiam Rubram*, *et Magnum Ducatum Lithvaniae.* Major Polonia est magis septemtrionalis, separatur a minore Polonia per *Vartam* fluvium. Major Polonia tres numerat provincias, uti *stricte dictam Poloniam* ubi praecipuae civitates sunt *Posnania* muro dupplici cincta, quotannis duas nundinas celebres habet. *Gnesna* prima omnium civitas a *Lecho* duce condita, inqua *Boleslaus* dux ab *Ottone III.* Imp. Regium diadema accepit. Post *Gnesnam* omnium Polonicarum urbium prima est *Chrusphicia* lignea cum arce lateritia. *Petricow* etiam ampla urbs. Altera provincia est *Cujaviensis.* Tertia *Massoviensis* ubi est *Warschau* olim Regia sedes. *Polonia Minor* tres *Plalatinatus* seu *Woyvodatus* numeravit uti: *Cracoviensem*, *Sandomirensem*, et *Lublinensem.* In Russia Rubra est *Lemberg* et habet tres provincias, uti *Podoliam*, *Ukraniam* ubi est Kiow et Pultava: item *Volhiam* ubi est Luch. Magnus Ducatus Lithva-

niae

niae tres partes habet uti *Litvaniam propriam* ubi est Vilna, *Russiam Albam*, et *Samogitiam*. In his omnibus regionibus dominans Religio hodie est Romano Catholica. Polonia irrigatur fluviis nobilissimis uti *Vistula*, *Pregel*, *Niennien*, *Wiadro*, *Varta*, *Nyeper*. etc. Ad meridiem habet montes Carpathicos, quibus ab Hungaria dirimittur; interim tamen tota fere regio silvis obducitur: in quibus Ursos, onagros, tauros et equos silvestres in copia habent. Poloni initio Ducibus, dein Regibus propriis parebant; hodie autem Regni appellationem amisserunt, nam post fatale bellum Gallicum tota Polonia inter Austriae Imperatorem, Russorum Imperatorem et Borussiae Regem utpote potentissimos foederatos divisa est: et temperatis constitutionibus gubernatur ab iis Principibus. *a*)

§. 2. *Status Religionis et Consvetudinis.* Polonos olim in paganismo vixisse *Cromerus* in sua Historia pluribus ostendit usque seculum decimum; quo aevo Christianum nomen imprimis apud Polonos propagari coepit, nam *Ze-*

u 2 *mo-*

---

a) Poloniae Geographiam egregie scripsit Martin. Zeilerus. Ulmae 1657. et Simon Starovolscius cum praefatione Hermanni Coringii, Guelferbyti 1656. item Joan. Theodor. Sprengerus Poloniam novam et antiquam edidit Francoforti 1656. Andreas Cellarius Poloniae descriptionem Amstēlodami 1659. Bernardus Connor Germanicae prodivit Lipsiae 1700. ubi Poloniae Status Historicus, Physicus, Politicus et Ecclesiasticus adumbratur.

momisli filius *Miecislaus*, *Daubrawcam Boleslai* Bohemi filiam ea conditione obtinuit in uxorem, ut religionem Christianam susciperet, quod et fecit: ex quo Poloniae regiones in dioceses Ecclesiasticas dustributae sunt uti *Gnesnensem* et *Cracoviensem*, *a*) tardius plures Episcopatus sunt fundati. In hac religione non modo perseverarunt, sed plane eorum rex *Uladislaus Jagello* agentibus etiam Hungaris recenter ad *Christum* conversus incolas Litvaniae ad fidem perduxit, ipse spectantibus omnibus manu sua illis quas olim coluerat arboribus magna vi secures impingens eas deturbavit exclamando: *non est Deus quod excindi, dejici et extingvi potest!* atque hic Rex zelo religionis ardens, primus Orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum et Catechesim in lingvam Litvanicam vertit. Verum optimos *Jagellonis* conatus non parum interturbabant illi Poloni, qui famosam *Hussii* Doctrinam palam approbabant; quare rex contentionibus his finem imponere volens, anno 1431. Cracoviae cum Hussitis Disputationem instituit, eique ipse cum Senatoribus interfuit; quae disceptatio non exiguas animi sensationes de inventis Ecclesiasticis in animis generavit. Ceterum *Hedvigis* Regina Sacram Scripturam in lingvam Polonicam sibi transferri curavit et sedulo legit:

a) M. Cromerus L. 3. Crantzius L. 5. c. 25.

git: *a*) cujus pio studio motus *Jagello* vocavit in Poloniam ex Bohemia Ecclesiasticos, qui contra morem Romanae Ecclesiae, vulgari Slavonica lingva longo tempore Sacra administrarunt Cracoviae in templo Sanctae Crucis, Regis porro exemplum et alii imitati sunt; unde brevi quam plurimi in errores Hussitarum lapsi sunt adeo: ut nobilitas Majoris Poloniae *Poznaniae* congregata vehementer urgeret *restitutionem Calicis in Coena Domini*, allegans institutionem *Christi*, consvetudinem primitivae Ecclesiae et exemplum Bohemorum, quod nisi obtineret, arma et decimarum ademtionem ostentabat. Verum prudenter Episcopus Poznaniensis ad speciem eorum conatus laudans, simul paterne cunctos monuit ut ordinem servarent, promittens se facile id a Pontifice impetraturum: quo facto feliciter eorum studia elusit. Interim tamen dicti Bohemi *Fratres* occulte etiam *Poznaniae* haeresim propagarunt, quorum praecipui erant *Geogius Izrael, Joannes Corytanius*, *Jankovius*, *Joannes Tomicius*, *Joannes Cassinovius*, *Joannes Lasco* antea Canonicus Gnesnensis, dein patriam deserens in Anglia uxorem duxit. In Polonia vero minore primus circa a. 1450. videtur promovisse Reformatam religionem *Nicolaus Oleznicius* qui ex propriis bonis Monachos omnes ejecit; quare etiam apud Regem graviter ab Episcopis accu-

a) Lasitius L. I. de gestis Fratrum.

accusabatur sed incassum: Unde Ecclesia Poloniae adeo brevi convulsa evasit, uti ipsis fidelibus concordia necessaria videretur: *a*) quare 1555. *Cozmingae* prima Synodus indicta est, ad quam ex utraque Polonia, multi ministri et Patroni confluxerant, ubi etiam unio cum ecclesiis Poloniae Majoris inita est, quamvis brevi ab ea desciverint, Ceremoniamque in Coena Domini consvetam *Fratribus* repudiaverint; unde subortae dissensiones Ecclesiam mire distrahebant, quoniam et *Tritheitae* irrepsissent. Porro etiam *Stancarii* haeresis in Synodo *Sendomiriensi* et *Vladislaviensi*, anno 1560. in celebri Synodo *Xiansensi* condemnata est. Vix autem malum *Stancarii* exstinctum erat, jam *Georgius Blandrata* Medicus, Geneva ob negatam *divinitatem Christi* pulsus, in Poloniam venit, qui se cum blasphema doctrina de SS. Trinitate, Polonis et Litvanis in gratiam adeo insinuavit, ut ipse *Calvinus* eum Vilnensis ministerio adscriberet. *b*) Is igitur haeresim *Socinianam* recenter a *Fausto Socino* in Italia prognatam propagavit, plurimos e nobilitate seduxit, insanaque sua doctrina Eclesiam foedavit. Tandem post varias animorum dissen-

---

a) Joachim Bielscius in Chron. Polon. L. 5. p. 600. seqq. Lasicius de gestis Fratrum L. 5. Virgilius Musaeus de Evangelii in Polonia origine et progressu. *b*) Joannes Calvinus in Epistola. Joach. Bielscius in Chron. Polon. L. 5. p. 600.

dissensiones, Ecclesiae Confessionis Bohemicae; Augustanae et Helvetciae anno 1570. Sendomiriae *Consensum* iniverunt, ubi multa sunt constituta quoad ordinem et ritus Ecclesiae, cui praecipui patroni et tres Palatini, maximaque nabilitatis pars, uti et Pastores subsripserunt; quod ipsum etiam mortuo *Augusto* rege, etiam Neoelectus *Henricus Valesius* modo rex eligeretur in gratiam Protestantium se facturum promiserat, sed electus praestitit nihil; unde novae inter Palatinales sunt exortae contentiones *a*) agente imprimis *Joanne Firley* Cracoviensi Palatino, qui dixisse fertur regi occasione coronationis: *si non jurabis, non regnabis!* igitur rex se teneri videns, postulatis satisfecit: sicque inducta tolerantia utcunque pacatos reddidit civium animos adeo: ut reluti ejusdem alioquin patriae cives, conatus suos in patriae suae amorem ac utilitatem omnino convertant.

§. 5. *Status Politicus et Forma Regiminis.* Historia Polonorum quo ad regiminis formam commodissime dividi potest in duas periodos, prima continet Statum Polonorum antiquum sub Ducibus, altera vero sub Regibus. Et quidem primo antiquissima Polonorum tempora juxta scriptores initium sumunt a primo eorum duce *Lecho* qui a Slavinis suis populis discedens

---

a) Thuanus L. 57. p. 963. seqq. Salom. Naigeb. Hist. Polon. L. 9. vide et libellum Consensum Eccl. Polon.

dens cum fratre *Czecho* cui Moraviam et Bohemiam concesserat, ipse Quadorum terram, quae hodie Silesia est, et Majorem Poloniam occupavit, sedemque ad *Gniesnam* posuit eo quod ibi plures nidos aquilarum reperisset: hujus *Lechi* successores dein vocabantur *Polacki.* Exstincta autem *Lechi* stirpe, mox Poloni a duodecim potentissimis familiis seu Palatinis idest *Woywodis* gubernabantur, donec exortis inter eos dissensionibus, summa totius Poloniae potestas ad *Cracum* urbis Cracoviensis conditorem devolveretur. *Lechi* enim posteri *a*) centum fere annis in Polonia regnarunt circiter ad annum usque Christi 700. Ultimus dux erat *Miecislaus* qui primus Christianus Princeps baptismum suscepit circa an. 999. Porro Polonia Regni titulum et Regiam Majestatem accepit an. 1001. regnante *Boleslao Chrobry* quem *Otto* III. Romanorum Imperator, humanitate ejus qua eum exceperat in peregrinatione *Gniesnam* ad sepulchrum D. *Alberti* delinitus, Regem creavit, socium et amicum Romani Imperii, a tributo et omni jurisdictione Imperii immunem pronunciavit, *Rixamque* e sorore neptem ejus filio *Micislao* despondit. *b*) Verum post annos 77. sub *Boleslao Audace*, qui crudeliter *Stanislaum* Craciensem Episcopum trucidaverat, Polonia regio

a) Cromerus L. 1. Hist. Polon. *b*) Cromerus Hist. Polon. L. 3. Crantzius Vandal. L. 2. c. 36.

gio Diademate a Romano Pontifice privata est; quod tamen avitum jus, an. 1295. denuo recuperatum erat electo in Regem *Primislao* II. duce Majoris Poloniae et Pomeraniae. Initio Polonia fuit generaliter divisa in Majorem et Minorem, cui successive adjectae sunt variae provinciae, uti Russia Rubra, Litvania, Pomerania. etc. Reges Poloniae inde ab an. 1001. eligebantur ex Familia *Piasti*, quorum ultimus erat *Casimirus III. Magnus* in quo Virilis Piastorum stirps extincta est an. 1370. Quo anno Litvaniae dux *Wladislaus Jagello* electus est, qui vi matrimonii sui cum *Hedvige Ludovici M.* Hungariae regis filia initi, conjunxit Litvaniam cum regno Poloniae; cujus successores jure haereditario Poloniam gubernarunt usque *Sigismundum Augustum* seu a. 1572. cum quo stirps *Jagellonica* regia exstincta est; a quo tempore Reges ex *peregrinis Familiis* eligebantur; quorum potestas adeo erat legibus circumscripta, ut ii titulo potius quam re fuerint Reges, ac proin forma regiminis magis Aristocratica quam Monarchica viguit. Status Politicus Poloniae, penes quem summa potestas erat, constabat ex duobus membris, nempe Ecclesiasticis et Nobilibus: ad illum pertinent duo Archi Episcopi *Gnesnensis* et *Leopoliensis*, item Episcopi: *Cracoviae*, *Posnaniae*, *Ploczko*, *Chelmae*, *Vladislaviae*, *Pomesaniae*, *Varmiae*, *Culmae et Sambiensis*, *Praemisliae*, *Cavenez*, *Vilnae*, *Medeniquae*, *Luceoriae*. In

Livo-

Livonia *Rige*, *Dirptae*, *Absel*, *Revaliae*. Alterum membrum constituunt Nobiles, quo pertinent Palatini et Castellani. Unus quisque nobilis in electione Regum gaudet jure suffragii: a quo enim tempore haereditaria successio desiit, mortuo rege respublica ad interregnum redire solebat, quo durante Archi Episcopus Gnesnensis tamquam Primas regni Interregis officio fungitur, et ejus Causas per Literas Universales indicat. Leges quas in eligendo Regi proponunt, vocantur *Pacta Conventa*; omne robur regni in nobilitate potissimum consistit, nam ex sola Nobilitate, facile annue ducenta milia Equitum statuere possunt: hujusmodi Universalis insurectio nonnisi a Rege tempore necessitatis indici potest: hinc Poloniae potentia tanta evasit, ut invidiam fere totius orbis in se promoveret; interim cum rara fuisset harmonia regem inter et Proceres, aegre omnino se adversus vicinos tueri poterat. Quibus in adjunctis Russi, Austriaci et Borussi circa 1772 Poloniam cum exercitu ingressi, provincias ad quas se jus habere praetendebant occuparunt; quod etiam jus sequente anno ipsi Poloni in publicis comitiis confirmarunt, et simul formam regiminis mutantes *Senatum Perpetuum* instituerunt qui deinceps negotia publica administraret; sed brevi Poloni exitio suo et hunc Senatum abrogantes, instituta *Commissione Bellica* novam Constitutionem elaborare intendebant; interim

1793.

1793. tota Polonia a Confoederatis Russis, Austriacis et Borussis in tres partes divisa, sublato Regio titulo, Regnum Poloniae simpliciter desiit: hac divisione Domus Austriaca partem Poloniae sub nomine Galliciae occidentalis obtinuit. Borussus accepit Samogitiam et Litvaniae partem usque ad Niemen fluvium, item partem Palatinatus Biekensis, Podlachiae et minoris Poloniae cum tota fere Masuria et Varschavia. Russi autem reliquam Poloniam obtinuerunt, imo Volhinia et Curlandia sponte se eis subjecit. Verum an. 1807. *Napoleon* Borussiae regem parte Poloniae obtenta privavit, quam nomine Ducatus Varschaviensis Saxoniae regi dedit, cui brevi adjecit etiam Galliciam occidentalem et Districtum Zamoscensem. Russis vero Galliciae orientalis partem concessit. Ceterum *Napoleon* ut Polonos facilius ad suas pertraheret partes, dum 1812. expeditionem contra Russos suscepisset, iisdem regni restaurandi causa Comitia Varschaviam indixit: quae tamen gloria mox mutata belli fortuna, Russorum Imperatori Alexandro cessit, qui ex decreto Congessus Viennensis, obtentas Polonicas provincias regni titulo honoravit ea conditione, ut deinceps Poloniae rex idem esset qui Russorum Imperator. *a*)

§. 4.

---

a) Politicum Poloniae Statum scripsit Antonius de Pilia, Perspectiva politica Regni Poloniae, Dantisci 1653. Stanislaus Ritzistannovic, brevis de-

§. 4. *Status Belli et Memoria Principum virorum.* Primus Poloniae Princeps, cujus in Historia mentio est, erat *Lechus* unus ex Slavis principibus, qui Majorem Poloniam cum Quadorum terra occupans, *Gnesnae* sedem posuit, cujus successores centum fere annis jure haereditario Poloniam tenuerunt usque annum *Christi* 700. qui varia bella cum vicinis Germanis gesserunt. *a*) Cujus stirpe extincta, gens Polona XII. Palatinos sibi praefecit, quibus ad tyrannidem relapsis, *Cracum* ducem unanimi votu creavit, qui in Vistulae ripa urbem Craco-viam condidit. Post cujus mortem filius minor *Lechus* fratrem majorem *Cracum* ut imperio privaret in venatione occidit, qua re detecta, mox *Lechus* imperio dejectus est, et regni gubernatio *Venda* ejus sorori commissa fuit, quae ut conjugium *Ritigeri* Germani evitaret, Cracoviae de ponte in profluentem Vistulae praecipitem se dedit; quare iterum Regimen XII. Palatinorum constitutum est: *b*) quorum decreto *Lescus* summa rerum potius alias *Premislaus* dictus, ob Stratagema quo Hunnos et Moravos in insidiis praecipitavit clarus erat: cui duo *Lesci* successive successerunt, quorum unus ob frau-

---

scriptio statuum regni Polonici. Moguntiae 1606. Franc. Marinius de scopo Reip. Poloniae adversus Hermannum Conringium, Vratislaviae 1665. Christophor. Hartknochius, de republica Polonica libros duos scripsit Lipsiae 1698.

a) Cromerus, Hist. Polon. L. 1. *b*) idem L. 2.

fraudem, qua in certamine principatum inique ad se pertraxerat, notus est: alter ob res strenue gestas, qui praeter *Popielum* successorem legitime natum, habuit ex concubinis 20. filios, inter quos provincias intra Poloniam, Bohemiam, Balthicum mare et Vistulam sitas distribuit. Ceterum *Popielus* I. praefuit ignavus et timidus, regiam *Cracovia Gniesnam*, inde vero *Cruszviciam* transposuit. *Popielus II.* propter dissolutos mores per contemptum *Chostek* dictus, svasu uxoris patruos optimos veneno sustulit; ex quorum cadaveribus mures enati parricidam persecuti sunt, et revera una cum conjuge ac filiis in arce Cruszvicensi devorarunt; sicque per plures annos secutum est Interregnum: donec *Piastus* rusticus Civis Crusvicensis, in cujus aedibus quum miraculose mulsum et caro porcina continuo augeretur, cunctosque de novo rege consultantes abunde tractaret, communi consensu Princeps Polonorum constitutus esset; de cujus nomine *Piastos* indigenas Reges vocarunt Poloni: qui revera reverentia et cultu Deorum magis quam armis Poloniae pacem procuravit, ac anno aetatis centesimo vigesimo, relicto successore filio *Zemovito* obiit. *Zemovitus* amissa sub ignavo *Popielo* ab Hungaris, Germanis et Moravis fere omnia feliciter recuperavit, similiter etiam a Prussis, Pomeranis, Cassubiis et Hennetis rapta repetiit; cui dein mortuo successit filius *Lescus* IV. quietis et otii quam belli amantior, bella a patre feliciter inchoata, tur-

pi

pi ignavia deseruit. Cui successit filius *Zemomislaus* lenis, beneficus et hospitalis princeps, cui post longam uxoris sterilitatem natus est filius sed per septem annos coecus, qui dum coma ei ex more gentili septimo aetatis anno deponeretur, visum obtinuit: quod boni ominis habitum, nomen *Miecislavi* ipsi inditum, quasi gloriam ense paraturus esset; qui ubi adolevisset, *Boleslai* Bohemi filiam *Daubravcam* ea conditione in uxorem obtinuit, si religionem Christianam susciperet, quod etiam praestitit; atque sic coeca Polonia, quod in ducis infantia praemonstratum erat, visum salutiferum accepit, qui etiam Bohemos rebelles feliciter repressit; cui mortuo successit filius *Boleslaus Chrobry*.

Reges Poloniae ex Piasti Familia.

I. *Boleslaus Chrobry* patri a. 999. succedens, primus titulo regio a. 1001. ab *Ottone* III. Imperatore insignitus est; quem socium et amicum Romani imperii, item a tributo et omni jurisdictione Imperii immunem pronunciavit. *a*) *Bolleslaus* primus hic Polonorum rex strenuus, *Jaroslaum* ducem Russiae, ejus fratrem *Svatoplucum* defensurus triplici pugna ad *Bogum* fluvium profligavit adeo: ut amnis sanguine caesosum rubuisse dicatur; fines regni devictis Saxonibus, ad Albim, Salam et Chersonesum Cimbri-

a) Cromerus Hist. Polon. L. 3. Crantzius. Vandal. L. 2. c. 36.

bricam protulit. Borussos caedem *D. Adalberti* ulturus tributarios fecit: et mortuus est. a. 1025. cui successit filius *Micislaus* qui rebelles principes *Jaroslaum* et *Micislaum* domuit, *Ulricum* Bohemum ob ereptam Moraviam, tributumque negatum strenue oppugnavit. Pomeranos repressit; cum autem domi omnia ex consilio uxoris *Rixae* administravisset, haec post mortem mariti Polonorum odium incurrens, una cum filio *Casimiro* e regno profugit, et secutum est VII. Annorum *interregnum* caedibus plenum; quo tempore *Maszlaus* Polocensem tractum sibi arripiens, ei demum *Massoviae* nomen dedit. Interea *Casimirus* regni haeres quum Monachum induisset, status regni diuturnae calamitatis pertaesi, *Casimirum* e Coenobio obtinuerunt postquam numum *S. Petro* in singula capita obtulissent, ipsique reges deinceps tonsuram instar monachorum, et stolam sub tempus sacrorum se gesturos promisissent. *Casimirus* igitur regnum consecutus Massovios dupplici proelio vicit, Borussosque socios 15. millium caede adeo prostravit, ut *Maslaum* ob male gestas res suspendio punirent, dicentes: ut *alta teneret qui alta petivisset. a*) Tandem *Casimiro* substitutus est filius *Boleslaus Audax* libidinibus deditus princeps qui *Stanislaum* Episcopum Cracoviensem acinace ad aram interfecit, quare a Pontifice Romano

a) Cromerus. Hist. Polon. L. 4.

no sacris *a*) interdictus, e regno in Hungariam profugit, inde in Carinthiam in coenobium concessit, ubi culinae inserviens, tandem necem sibi conscivisse dicitur. Successit ei frater *Vladislaus Hermannus*, qui per totam suam vitam a filio suo *Sbignievo* ejusque factione multum vexatus erat; tandem in throno eum excepit circa a. 1108. *Boleslaus*, qui magno suo damno Bohemiam vastavit per *Zelislaum*, cui ob amissam manum, auream donavit. Postea *Henricum* Imperatorem praelio vicit: Pomeranos vero et Cassubos 27 millium clade sibi subjecit: *Sbignienum* fratrem rebellem supplicio affecit, et *Skarbimirum* Cracoviensem Palatinum sibi insultantem oculis privari jussit: *b*) tandem inter quatuor filios, quum *Casimirum* minimum filium miro naturae cursu exhaeredasset, regnum dividens decessit. Cujus successor filius *Vladislaus* ex uxoris *Christinae* consilio omnia administrans, cum fratribus etiam eorum portiones eripere conaretur, a fratribus victus et regno pulsus est; cui successit frater *Boleslaus Crispus* cui *Fridericus Barbarossa* Imperator ob restituendum *Vladislaum* bellum intulit, eique Silesiam acquisivit; interim *Boleslaus* contra Prutenos vario marte pugnans obiit; eique successit, frater *Miecislaus* ob gravitatem morum *Senex* dictus, qui brevi ob avaritiam et crudelitatem suorum odium in-

---

a) idem. ibid. et Math. Machovia L. 2. c. 20. *b*) Cromerus. Hist. Polon. L. 5.

incurrens, quum post varias etiam admonitiones vitam emendare noluisset, consensu procerum depositus. eique frater *Casimirus* substitutus est, qui bellum Russicum et Hungaricum feliciter gessit, demum *S. Florianum* annuente Romano Pontifice e sepulchro impetravit. *a*) Cui in convivio defuncto successit minor filius *Lescus Albus* ea lege, ut penes ejus matrem *Helenam* imperium esset: quo regnante Tartari primum Poloniam infestare coeperunt; item adversus Borussorum incursiones *Equites Crucciferi* e Palaestina a Saracenis pulsi in auxilium vocabantur, quorum adventus cruentissimis dein bellis occasionem praebuit: ceterum postquam *Miceslaum* patruum composuisset, mox *Romanum* Vlodomiriensem ducem quod nobilitatem dira crudelitate exstirpasset, ad *Zavichostum* decretorio proelio trucidavit, filium suum *Boleslaum* sub tutela *Conradi* successorem relinquens obiit, verum *Conradus* mox regno inhians, ut Massoviam contra infestos Borussos tueretur, *Crucigeros* ordinis Teutonici evocavit, qui pro fideli servitio Culmensem tractum obtinentes, mox Vistulae ripam *Thorunium* urbem condiderunt. *b*) Interea *Boleslaus* in Polonia rex creatus, mox metu Tartarorum in Hungariam fugit, Poloniamque Tartaris foede devastandam reliquit; ipso tamen regnante salis fodinae ad *Bochnam* sunt inventae. *Lescus niger* qui *Bo*-

X *les*-

a) idem L. 6. *b*) idem L. 8. et Nauclerus generat. 41.

leslao substitutus erat *Leonem* ducem Russorum qui *Leopolim* condidit, ob varias hostilitates dupplici proelio profligavit; Litvanos praedis onustos vicit; rebelles qui contra eum *Conradum* ducem elegerant, auxilio *Ludovici* Hungariae regis superavit: a Tartaris etiam multum patiebatur, qui inter alia XXI. mille innuptarum puellarum abduxerunt. Ceterum post *Boleslai* mortem sex annorum interregnum secutum est: *a*) cujus pertaesi proceres communi voto elegerunt *Przemislaum* Poznaniensis ducis filium, qui *titulum Regum* a Majoribus per 215. annos intermissum consentiente Pontifice recepit: *Dantiscum* contra Crucigeros munivit, qui tamen octavo regiminis mense a Marchione Brandeburgensi trucidatus est. Huic successit *Vladislaus Lokietek* qui ob ignaviam et militum temeritatem exauctoratus, in throno successorem vidit *Venceslaum* Bohemum, qui rebelles et *Lotkiekum* profligavit; *Grossos latos* Bohemicos cudi curavit: *b*) quo mortuo mox *Vladislaus Lokietek* regno restitutus, Dantiscum ejusque arcem contra Crucigeros defendere non valens, neque centies mille marcas latorum grossorum solvere vellet, ipsam urbem magna sanguinis effusione amisit. Cumque Crucigeri ne quidem ad Pontificis interdictum mores et crudelitates deposuissent, *Vladislaus* auxilio Litvanorum bellum iis inferens 20. millium clade profligavit. Successorem habuit filium *Casimirum* III. *Magnum*,

---

a) Cromerus. Hist. Polon. L. 10. et 11. *b*) idem. ibid. et Dubravius in Hist. Bohemorum.

qui Russis victis Russiam minorem in provinciae formam ea conditione redegit, ut veteres religionis ritus porro reservarent. In eo et virilis *Piastorum* stirps extincta est, cumque Sororis suae filium *Ludovicum* M. Hungariae regem successorem designasset, ipse in venatione lapsu equi contusus decessit, a. 1370. *a*) *Ludovico* successit ejus gener *Sigismundus* cui brevi regnum ademptum est ob *Demaratum* a Praefectura non amotum: in cujus locum *Ludovici* minor natu filia *Hedvigis* est coronata, cui in maritum datus fuit *Uladislaus Jagello* Litvaniae Princeps.

Reges Jagellonici.

Jagello Uladislaus. Princeps Litvaniae Ethnicus, religionem Christianam assumens in baptismo *Uladislai* nomen accepit, hic vi matrimonii Litvaniam cum Polonia conjuxit, *a*)

x 2 ma-

---

a) Polonicarum rerum Scriptores Latinos Veteres et recentiores conscripsit Joannes Pistorius. Basileae. 1582. Alia etiam exstat Collectio, quae prodivit Amstelodami 1698. ubi continentur Aeneae Sylvii scripta de Polonia, Lithvania etc. Item Erasmi Stellae liber. Alexander Gvaguini in Chorographia totius Poloniae et Lithvaniae. Martini Crομeri Polonia. Mathaei a Michovia libri duo de Sarmatia Asiana et Europaea etc. *b*) Poloniae nexa est Lithvania, cujus descriptionem dedit Sigismundus. L. Baro ab Herberstein: item Aeneas de Lithvania apud Pistorium. Polonico sermone scripsit Annales Mathias Stryckonius. etc.

magnasque contentiones cum Austriae duce causa conjugis *Hedvigis* ferre debuit, cui etiam 200. millia floren. solvit. Gravia etiam bella gessit cum Cruciferis, et postquam Palatinum Valachiae in fidem accepisset e vita excessit a. 1434. filium suum successorem relinquens:

Uladislaum VI. qui Russicam et Podolicam nobilitatem cum Polonica omni jure exaequavit: dein consentiente Hungarorum Regina *Elisabetha* Hungariae rex electus, cum Turcis initio feliciter pugnavit; sed induciis ad persvasionem *Juliani* Cardinalis cum *Amurate* violatis, ad *Varnam* contra Turcas decertans occubuit 1445. cui in Polonia substitutus est frater.

Casimirus, sub quo Borussi crudelitate et libidine Crucigerorum permoti, ad excutiendum jugum confoederationem cum Polonis iniverunt, hinc Crucigeri *Casimiro* subjecti et non mediocriter attriti, pacem his conditionibus fecerunt: ut Borussiae parte Crucigeris concessa, ipse ordinis Magister beneficiarius Regni Poloniae, ejusque Princeps et Senator esset. Tandem *Casimirus* obiit 1492.

Sigismundus I. Ordinis Teutonici Magistrum in angustias redactum Prussiae ducem creavit, quocum pacem ea conditione sanxit, ut *Albertus* Marchio Brandeburgicus cum posteris suis legitimis partem Borussiae possideret fiduciario jure, et exstincta stirpe virili, Ducatus Feudali jure ad Poloniam devolveretur.

Tandem

Tandem exactis potentiae suae 42. annis, *Sigismundus* fatis concessit 1545. et substitutus est filius

Sigismundus Augustus, sub quo Livoni a Moscovitis afflicti in Polonorum fidem concesserunt; qui hactenus Crucigeris erant subjecti: qua vice ultimus eorum Magister *Gothardus Ketlerws* ordinem deserens, mox a Polonis Dux *Curlandiae* creatus est; unde *Ducum Curlandiae origo* repetenda est. Ceterum haec mutatio multorum atrocissimorum bellorum dein causa evasit, quibus etiam ipse *Sigismundus Augustus* immortuus 1572. cumquo etiam Familia *Jagellonica* exstincta est. Hic Scholasticos Cracoviam deserentes revocavit; unde *Bursa* Cracoviensis evasit.

Reges de Peregrinis Familiis.

Henricus Valesius Gallus communi procerum voto rex Poloniae electus est, qui quarto regiminis mense, audita morte fratris *Caroli IX.* Galliae regis, mox e Polonia clam profugit, et quum nec pecibus redire vellet, proceres de alio rege deliberarunt, sed quum vota jam in *Maximilianum* Caesarem, jam in *Stephanum Báthory* Transilvaniae Vajvodam inclinarent, *Bathorius* celeritate cunctabundum *Maximilianum* antevertit, qui etiam ducta *Augusti* sorore *Anna* a. 1576. coronatus est.

Stephanus Bathorius inter optimos Poloniae reges numeratur, qui salutaribus suis institu-

stitutis Poloniam ad florem perduxit, Militiam Equestrem instituit: pro defensione autem Patriae in locis variis ad Tartariam pertinentibus perpetuos Equites *Quartianos* dictos disposuit, dicti sunt *Quartiani* ideo: quod de quarta redituum regionum parte stipendium perciperent. Quo ex instituto *Ukrania* quae per frequentes Tartarorum incursiones antea inculta jacuerat, nunc Urbibus et pagis ornari frequentarique coepit. Cosacos etiam antea indomitam gentem humaniores reddidit; eorumque pedestrem militiam ordinavit. Quibus curis intentus optimus Princeps mortuus est a. 1586.

Sigismundus filius *Joannis* Regis Svecorum, quoniam Sacris Catholicorum addictus esset, paternum Sveciae regnum, patruo suo cedere debuit; unde cruentissima bella cum Sveciae regibus *Carolo IX.* et *Gustavo Adolpho* enata sunt. Non absimiliter etiam cum Russis et Turcis vario marte bellatum erat quo ad vixit usque an. 1636.

Uladislaus VII. Cosacos infensissimos Polonorum hostes ob hostiles incursiones habuit adeo: ut amplius nunquam sub pristinum jugum Poloniam redigere potuerit, qui obiit 1647.

Joannes Casimirus dudum gliscentem Cosacorum seditionem aperto et funesto bello experiri cogebatur, quorum pars Russis, pars vero Turcis se conjungens, utramque gentem deinceps in Polonos armavit; qua tempestate etiam veteres Svecorum controversiae renova-

ta

tae sunt adeo: ut Poloniae regno gravissimas causarent turbas; *Carolus* enim *Gustavus* Sveciae rex victricibus armis Poloniam invadens funestissime eam depopulabatur, tandem post multas devastationes, Svecos inter et Polonos *Olivae* prope *Gedanum* a. 1660. pax confecta est ea lege: ut rex Poloniae juri suo in Sveciam et Livoniam renunciaret; quo facto ab hostibus externis liberatus, domesticis vero malis fessus, tandem *Joannes Casimirus* regno se abdicavit a. 1668.

Michael Koributh dux *Wiesnowisky* Lithvaniae, post prioris regis abdicationem, ut indigena rex Poloniae electus, cum Turcis continuo infeliciter pugnans, tandem cum iis ignominiosam pacem inire compulsus est ea lege: ut Cominieca Podoliae Turcis cederet, et annuum tributum Turcis deinceps solveret. *Michael* mortuus est a. 1673.

Joannes III. Sobieszky solus contra Turcas expeditionem suscipiens, feliciter copias Turcarum ad *Chocimum* internecina clade delevit, ob quae insignia in patriam merita Poloniae rex electus est ex Duce exercitus, qui etiam post felices victorias, a. 1676. cum Turcis pacem ea conditione inivit; ut Poloniam ab annuo tributo liberaret. Verum haec pax non erat diuturna, nam prioribus proeliis animatus, denuo arma contra Turcas vertit ea occasione quum Vienna a Turcis obsideretur, ceterum tamen *Caminiecam* nec hac quidem vice

recu-

recuperare potuit; quibus curis intentus decessit 1696.

Fridericus Augustus Elector Saxoniae electus rex, mox omnia loca quae hactenus a Turcis occupata erant, pace *Carloviczensi* recuperavit. Diuturnum et formidabile bellum gessit etiam cum *Carolo XII.* Sveciae rege, quod demum ea lege terminatum est; ut retento solo Regis Poloniae titulo, Coronae Polonicae sponte renunciaret; vi cujus etiam ei suffectus est;

Stanislaus Polonus e Domo *Leszinszky*, qui etiam praepotenti Sveciae regis patrocinio fultus, solenni ritu 1704. Rex Poloniae coronatus est, in cujus favorem Sveci contra Russos auxilio venientes, quoniam ad *Pultavam* internecina clade fuissent attriti, in eas angustias *Stanislaus* est redactus, ut fuga Poloniam relinquere, et ad generum suum Galliae regem se recipere cogeretur. Quo facto *Augustus* nuper exauctoratus Rex in regnum Poloniae reversus, turbas componere studuit: tandem et hic post varias rerum eversiones Varschoviae decessit 1733. post cujus mortem tota fere Europa ob successorem designandum conflagravit, nam septem erant regni Poloniae competitores, inter quos *Stanislai Leszinszky* auxilio Gallorum potentissimas tenebat partes sed incassum; quoniam agente *Carolo VI.* Imperatore, defuncti *Augusti* filius successor fuisset probatus;

Fridericus Augustus II. Elector Saxoniae in Patris locum Rex electus est, licet *Stanis-*

laus

laus regium titulum cum Lotharingiae in Gallia Ducatu retineret. Ceterum hic *Augustus* infeliciter cum Borussiae rege pugnans, obiit 1763.

Stanislaus Augustus Polonus e Domo *Poniatowszky* imprimis opera *Catharinae* Russorum Imperatricis rex est electus, sub quo internis seditionibus, exquisitisque confoederatorum turbis misere concutiebatur Polonia. Nam *Catharina* Russorum Imperatrix vocatis in auxilium Borussis, Polonos proelio superans *Grodnam* comitia indixit, et recenter fabricatam constitutionem adprobavit. Interim Foederati his non contenti, totam Poloniam in tres partes diviserunt, abolitoque Regio nomine, Regnum Poloniae esse desiit. Vigore tamen Congressus Viennensis 1814. Russorum Imperator *Alexander I.* provincias in Polonia obtentas ad regni titulum evexit ita: ut Russorum Imperator deinceps esset et Rex Poloniae.

§. 5. *Status Literarum et artium. Martinus Cromerus* celeberrimus Historiae Polonorum scriptor, quoniam abunde de origine, de veteri in paganismo et Christiana Religione, de Philosophia, legibus moribusque Polonorum monumenta exponat; nihil aliud hic dicendum existimavi, quam quod Polonia olim bonas literas parum curaverit, successsive vero et nunc, literis ipsis et Literatissimis Viris omnio abundet. Viri enim plerique nobiliores, excellenti ingenio praediti sunt; multisque et longinquis peregrinationibus prudentiam sibi

et

et multarum lingvarum peritiam comparare solent, unde non tam liberales quam profusi sunt. Imprimis autem bonae artes et Literae in Poloniam indefesso zelo inductae et propagatae sunt per *Stanislaum Hosium* Cardinalem et Concilii Tridentini Praesidem ad quem *Stanislaus Orechovius* Roxolanus sic scribit: Tu nos scriptis tuis elegantissimis ad omne pietatis munus informas, consequerisque ut Polonia ab omnibus existimetur, Te enim Magistro compensata est vetus illa gentis nostrae barbaria, qua inter reliquas Christianas gentes fuimus olim infames; quam scripta tua inveteratam ex nostris moribus disciplinaque funditus deleverunt. Tu enim exstitisti ingente nostra primus, qui directum nobis iter ad ingenuas artes et ad humanitatem dispositum demonstraret: quibus rebus Te monitore, homines nostri capti incensique incredibili optimarum artium studio flagrare coeperunt. etc. *Cracoviensis* quidem Academia inchoata fuit a *Casimiro* rege an. 1560. sed ea tamen obscura fuit usque an. 1400. quo vocatis ex Pragensi Academia Clarissimis Professoribus instaurari coepit: *Hedvigis* enim Regina patris morem secuta, ingentem pecuniam reliquit, qua Cracoviensis Academia a *Casimiro* coepta perficeretur, ex cujus fundatione duo celeberrima collegia exsurexerunt, in quorum Uno Theologi et Philosophi, in altero Jurisconsulti et Medici profiterentur. Ceterum haec Academia ad om-

omnium disciplinarum professionem erecta fuit; imprimis tamen ibi Sacra Theologia, artes mathematicae et humanior literatura floruit. Hic insuper *Petrus Roirius* Lithvanicarum decisionum scriptor celeberrimus Jurisprudentiam se docuisse profitetur. Huc etiam catervatim literarum condiscendarum causa concurrere solebant Hungariae filii jam in dignitatibus constituti, uti Abbates, Archidiaconi, Vicearchidiaconi, Parochi et alii, pro quibus ibidem ampla fundatio exstitisse videtur, ut patet ex *Bursa Cracoviensi*, quam ex antiquis Manuscriptis edidit *Jacob. Ferd. Müller* 1820. condam Musaei Nationalis Director Pestini. — *Vratislavensem* etiam Academiam an. 1505. *Vladislaus* Hungariae et Bohemiae rex erigere conabatur; sed Universitas Cracoviensis ut Majestatem et gloriam suam tueretur, apud *Julium* Pontificem Romanum, ejus confirmationem impedivit. *Posnensis* etiam Academia aliquando floruit, sed nunc demum collapsa est. Porro *Cromero* teste in arce *Vilnensi* celeberrimam Bibliothecam Poloniae Reges extruxerunt. His igitur praesidiis fulti plurimi celeberrimi viri, scriptis et institutionibus suis Poloniam ornarunt. Sic *Geographiam Zeilerus* Ulmae 1657. *Simon Starovolscius* Guelferbyti. 1656. *Augustinus Gudicanus* Coloniae 1659. optime autem *Andreas Cellarius* Amstelodami 1659. *Historiam vero Poloniae* illustrarunt *Joannes Pistorius* Polonicarum rerum scriptores latini

latini veteres et recentiores, Basileae 1582. quam insecuta est alia collectio Amstelodami 1698. ubi *Aeaneae Sylvii*, *Erasmi Stellae*, *Martini Cromeri*, *Mathaei a Michovia*; *Herbersteini*, et aliorum scripta occurrunt. Separatim etiam prodiit *Martini Cromeri* Polonia seu Libri X. de origine et gestis Polonorum Basileae 1589. in fol. Hunc *Cromerum* in Compendium redegit *Salomon Neugebauerus*, in Historia rerum Polonicarum Hanoviae 1618. *Stanislaus Sarnitius*, Cracoviae 1587. Compendium autem Historiae Poloniae dedit *Joannes Herbortus* de *Fulstin* Basileae 1571. brevius autem exhibet in Floro Polonico *Joachimus Pastorius* Gedani 1679. Particularem Historiam Regum plures ediderunt: uti *Eberhardus Wassenbergius* de *Wladislao* IV. Gedani 1641. *Reinoldus Heidensteinius* de excessu *Sigismundi Augusti* Francofurti 1672. *Stanislaus Rescius* de *Henrico* rege in Gallia, Romae 1573. *Andr. Maximilianus Fredro* de *Henrico Valesio*, Dantisci 1660. *Casimirus Zavadzky* Annalium Polonicorum Libri VII. Cosmopoli 1699. De bellis Civilibus scripsit *Albertus Vimina* Venetiis 1678. De *Jagellone*, *Sigismundus L.* Baro ab *Herberstein* et *Aeneas Sylvius*, *Mathias Strikovius*. etc. De Politico Statu Poloniae scripsit *Antonius de Pila* Dantisci 1653. *Stanislaus Ritzistannovic* Moguntiae 1606. *Franciscus Marinius* Hamburgi 1665. *Christophorus Hartnochius* Lipsiae 1698. etc.

CA-

Caput. XI.

Exhibens Historiam Russorum seu Moscovitarum.

§. 1. *Statistico Geographica notio Russiae.* Russia olim *Roxolania* dicebatur, quae alia fuit *Alba*, alia *Nigra*. Moschovia vero a *Moscho* fluvio, quae et regiam Urbem interfluit nomen accepit. Vastum hocce Russorum Imperium a Septemtrione babet mare glaciale, ab oriente Tartaros, a meridie Turcas et Polonos, ab occidente Livones et Svecos vicinos. In Russia est aspera äeris temperies, ita tamen salubris, ut ad Septemtrionem et orientem nulla pestis saeviat; speciali tamen morbo, quem *Calorem* vocant, paucis diebus pereunt. Universim regio nec oleam praeter cerasa producit: quoniam in tenera aetate boreae flatibus perimantur: agri tamen tritici, siliginis, milii, omnisque generis leguminum segetes ferunt. Maximus tamen proventus in cera et melle consistit: abundat etiam omni animalium varietate, suntque ursi inusitatae magnitudinis, praegrandes lupi nigro colore formidabiles; venaticis canibus feras capiunt, falconibus vero aves consectantur. Caput totius regni et metropolis

lis fuit antea *Moschkva* insigni fluminum frequentia celebris, uti et domorum amplitudine, numero et arcis robore, sedes hic est Patriarchae, olim et Magni Ducis Regia: hodie autem metropolis Russiae est *Petropolis* a *Petro M.* ad sinum maris, ligneis in fundamentis posita, quae omnes alias Russiae urbes splendore, divitiis, artibus et mercatura superat. Moschoviae Duces jam olim in omnes jus vitae et necis habebant, quorum opiniones etiam in religione habebantur pro legibus immutabilibus, hinc voluntas Principis erat lex tam apud politicos quam Ecclesiasticos, quos durissima servitute sibi subjectos tenebant. Sunt praeter Moschoviam etiam aliae urbes, et quidem duae Archi Episcopales uti *Rostovia* et *Novogrodia*, et aliae XVIII. Episcopatus dignitate nobiles. Multae insuper Regiones jam olim Magno Duci ad Septemtrionem porrectae erant vectigales. Lacus multi et magni sunt, uti *Ilmen*, *Ladoga.* Fluvii etiam ampli uti *Boristhenes* seu *Nieper* et *Dnieper*, *Turuntus* seu *Divina*, *Volga*, *Tanais* etc. Habet montes nominatissimos *Riphaeos*, *a*) qui perpetuis nivibus tecti, transiri facile non possunt. Silva *Hercynia* magnam Mochoviae partem occupat, quae jam longo hominum labore rarior facta, positis etiam aedi-

---

a) De quibus *Plinius* L. 4. c. 12. *Pompon. Mela.* L. 3. recentius autem agit Baro ab *Herberstein.* in sua Moschovia.

aedificiis passim incolitur. Olim in varios Principatus fuit divisa Russia, ideoque saepe jugum Tartarorum subivit. *a*) Religionem Christianam ritu graeco amplexi sunt sub Principe *Voladamiro* rectius tamen jam seculo nono et decimo. In Russia artes et mercatura hodie in florenti statu sunt; nobile enim linum et Canabim in restes, item boum, et animalium pelles ingentes cerae massas in omnem Europae partem exmittunt, et cum aliis etiam orbis partibus, magna suorum utilitate commercium exercent in celeberrimis emporiis *Astrachan* ad mare Caspium, quo merces Persarum et Armeniorum deferuntur. Item Urbs *S. Nicolai*, ad quam Angli et Hollandi navibus commeant et pannos aliasque merces important, unde *Vologdam* transferuntur.

§. 2. *Status Religionis et Consvetudinis Russorum.* Russi seu Rutheni olim more aliarum gentium Numinum cultores primum circa annum Ch. 858. ut *Baronius* observat Christianam religionem noscere et sequi coeperunt; quod ipsum

---

a) Moschoviae Topographia describitur Lugduni Batavorum 1630. Item *Adamus Olearius*. Slesvici 1656 *Albertus Heidenfelds* Francofurti 1680. *Petrus Petrejus*, Lipsiae 1624. Baro *Mayerbergius* Leide 1688. *Paulus Jovius* de legatione Basilii M. ad Clementem VII. qui situs regionis et mores describit: ut et *Mathias Michovia* de Moschovia fuse.

sum *Cromerus a*) sic confirmat: Sub *Piasto* Polonorum rege Russi (hodie Cosaci) Classe ad Pontum Euxinum excurrerunt, Constantinopolim obsederunt, unde discedentes ex captivis Religionem Christianam didicerunt. Ceterum haec erant tantum initia conversionis Russorum; nam Russi seu Rutheni et Moschovitae universim de lege et voluntate Principis *Voladamiri* Christianorum Sacra secundum ritus Graecorum susceperunt. *Basilio II.* Romani filio solo imperante, rectius circa annum Ch. 990. postquam videlicet *Anna* soror *Basilii II.* desponsata fuisset *Voladamiro* duci Kioviensi a quo totius Russiae duces sunt *b*) Hi conversi a Latinis semper aversi, per Episcopos et sacerdotes ab Imperatore *Basilio* missos amplius adhuc in Graeco ritu erant confirmati, unde et Patriarchae Constantinopolitano fuerunt subjecti; donec dissipato per Turcos orientali Imperio, sibi proprium Patriarcham elegissent, quem et hodie venerantur, qui hodie a solo Magno Duce delectus per duos aut tres Episcopos consecratur, sed dum Principi placet ab officio removetur. Huic *Moschoviae* habitanti Patriarchae subjecti sunt duo Archi-Episcopi, uti *Rostoviensis* et *Novogardiensis*, quibus subsunt XVIII. Episcopi uti: *Cor-*

si-

---

a) Cromerus Hist. Polon. L. 2. *b*) Joannes Scylitza et Ditmarus in chronico; item Joannes Fabri de religione Moschovitarum et Tyrannide Joannis Basilidis; huc referuntur etiam alii scriptores Moschovitarum.

sinensis, *Resanensis*, *Columnensis*, *Susdalensis*, *Casanus* in ripa Volgae fluvii; *Volochdensis*, *Tverianensis*, *Smolinszkensis*, *Pleskoviensis*, *Staritrensis*, *Slobodensis*, *Jaroslaviensis*, *Vlodomiriensis*, *Mosayskoensis*, Urbis *S. Nicolai*, *Sugauensis*, *Vstingensis*, *et Gargapoliensis.* Hi Episcopi ex Monachis quorum Monasteria in Imperio frequentissima sunt, omnia tamen ejusdem vestitus et ordinis, cujus auctorem dicunt fuisse *S. Basilium M.* Ecclesiae Doctorem: eliguntur autem ex Sanctioris vitae hominibus, quos *Wladicas* seu Dispensatores Monasterii vocant, id est *Archimandritas.* Communes vero Sacerdotes seu Presbyteros *Popas* et *Archipopas* nominant. Igitur Religio Moscovitarum est Graeca non unita Romanis, et profitentur Spiritum Sanctum, tertiam Trinitatis personam a solo patre procedere, Sacramentum Eucharistiae celebrant pane fermentato, Calicis usum universo populo concedunt; nullis precibus mortuorum manes juvari posse putant, unde locum Purgatorii non credunt, Libros Sacros propria lingva legunt. Sancti *Ambrosii*, *Augustini*, *Hieronymi* et *Gregorii* opera in lingvam Illyricam transcripta habent, et ex his, aut ex *S. Chrisostomo*, *Basilio* aut *Nazianseno* homilias publice pro concione Sacerdotes legunt: neque Oratores Cucullatos ut *Jovius* refert; qui subtiliter de divinis disserere soliti sunt, admittere fas putant; credunt enim rudes simplici potius doctrina, quam interpretationibus et disputatio-

y nibus

nibus ad Sanctiorum morum frugem evadere. Sacerdotes matrimonia contrahunt et bigamiam admittunt. Synedrii summus Praeses est Imperans, sine cujus nutu nihil etiam in disciplinaribus constituere possunt. Olim Duces, ex coactis e toto imperio praestantissimis Forma et corpore puellis Uxorem delegerunt, et alias principibus aut nobilioribus elocarunt. Generatim Moscovitae Illyrica lingva, et iisdem literis utuntur, sicuti et Slavi, Dalmatae, Bohemi, Poloni, Lithvani. etc. in hanc lingvam ingens multitudo Sacrorum librorum translata est. Anni apud eos non a nativitate *Christi Domini nostri* sed ab exordio mundi jam olim numerabantur, quos non a mense Januario, sed a septembri inceperunt; hodie quoque Calendario Juliano utuntur. Generatim in vestitu non ventrem sed femora cingunt, ut venter eo magis promineat. *a*)

§. 3. *Status Politicus et forma regiminis.* Historia Russorum in tres Epochas commodissime dividi potest; prout eorum status consideratur I. ante *Joannem Basilii* filium. II. A tempore *Joannis Basilii* usque ad *Petrum Alexiovits Magnum.* Denique III. a tempore *Petri Magni* primi Russorum Imperatoris ad nostra us-

---

a) Albertus Campensis, scripsit ad Clementem VII. Pontif. de rebus Moscoviticis. Quomodo autem Religio Romano Catholica apud Moschos introducta erat describit Antonius Possevinus in Moscovia sua. 1587. in fol.

usque tempora. Itaque I. in antiquissimis temporibus Russi ante *Joannis* Basilii aetatem in varios Principatus erant divisi, unde saepe sub jugo Tartarorum gemere debebant. In II. autem Epocha sub *Joanne Basilii* filio aliquantum caput extollere coepit Moscovia, qui excusso Tartarorum jugo, aliisque Principibus qui in Russia dominabantur in ordinem redactis, inter quos Principes tunc potentissimus erat Dux Magnae Novogardiae; unde etiam in proverbium abivit: *quis aliquid tentare audebit contra Deum et Magnam Navogardiam?* Ceterum *Joannes Basilides* exstitit conditor Russici Imperii absolutae potestatis, qua etiam hodie Russiae Imperatores utuntur: hic etiam primus assumsit titulum. *Princeps omnium Russorum.* Ejus autem successor *Basilius* ob amplas ditiones tali titulo utebatur: *Magnus Dominus Basilius Dei Gratia Imperator ac Dominus totius Russiae, nec non Magnus Dux Wolodomiriae, Moschoviae, Novogrodiae magnae, Pskoviae, Smolenszkiae, Tveriae, Jugariae, Permiae, Viathkiae, Bulgariae, etc. Dominator et Magnus Princeps Novogrodiae, inferioris terrae Czernigoviae, Rezanie, Wolochdiae, Rsoviae, Bielloiae, Rostoviae, Jaroslaviae, Poloczkiae, Biellozieriae, Vdoriae, Obdoriae, Condimiaeque etc.* Omnes hae regiones, et in his Civitates, oppida, vici, flumina, omnes agri unius Principis imperio et nutui subsunt, quem Incolae *Magnum Czar* seu Imperatorem vocant. Duces et Comites qui do-

minium utile in bonis Feudalibus liberum possident aut ad haeredes transmittunt, nulli sunt. Donat quidem pagos et agros *Czarus* nonnullis, sed dum voluerit denuo adimit: consequenter absolutum imperium habet in omnes subditos, eorumque omnium rerum; quare ei obedientia omnibus in rebus absque ulla recusatione praestatur, voluntas enim Principis pro Dei voluntate habebatur. Jam olim Gubernationis negotia et justitiae administrationem Dux per XII. Consiliarios assidue in aula obibat. Inter hos Praefecturae artium et Civitatum in toto Imperio divisae sunt, qui libellos supplices Principi inscriptos accipiunt, et ejus nomine respondent; manu enim sua literis subscribere nonsolebant. Leges in toto Imperio habent simplices, summa Principum et justissimorum hominum aequitate conditas, ideoque genti summe salutares, eas enim nullis causidicorum cavillationibus interpretari aut pervertere licet. De furibus, siccariis et Latronibus supplicium sumunt; quum de reis quaestionem habent, eos multa gelida aqua perfundunt, quod intolerandum tormenti genus esse cuncti testantur: aliquando contumacibus ad eliciendam criminis confessionem, ligneis cuneolis digitorum ungves convelluntur. Hac in secunda Epocha, Status Russiae quoad formam regiminis continuo mortuo Magno duce mutabatur si praedicatum Ducum consideraverimus; reipsa autem erat Forma Regiminis Haereditario successiva, et praedicatum potis-

potissimum a patris nomine mutuare consveverunt, sic quoniam *Joannes* erat filius *Basilii*, praedicatum assumsit *Joannes* seu *Ivan Basilovits.* Hujus *Ivanis* filius erat *Foedor* qui a patris nomine praedicatum accepit *Ivanovits etc.* Ultimus Magnorum Ducum hac secunda epocha erat *Foedor Alexiovics*, post cujus obitum imperio obtinendo gravis altercatio enata est inter ejus filios *Ivanum* et *Petrum*, *Ivan* enim licet major natu, imperium tamen volente adhuc Patre ad *Petrum* velut magis idoneum deferebatur. Verum soror ipsorum *Sophia* aegre ferens *Ivani* fratris dilectissimi exclusionem, sub cujus nomine, utpote excelsi animi Principissa ipsa se regnaturam speraverat, plurimos Proceres cum militibus ad suas pertrahens partes, eorum voto eo rem perduxit, ut ambo fratres simul aequali potestate imperarent, atque talis status biceps duravit usque a. 1688. quo anno intentatae in *Petrum* insidiae detectae causam praebuerunt, ut *Sophia* in Monasterium relegaretur; quo insperato eventu *Ivan* sponte se imperio abdicans, summa rerum ad *Petrum* solum pervenit. Atque hic incipit III. Epocha seu status Russiae; nam licet Russia inde a temporibus *Joannis Basilii* ob imperii amplitudinem adeo formidabilis esset, ut omnibus vicinis terrori esse potuisset; nihilominus tamen ante *Petrum Alexiovits* hujus vasti imperii exigua admodum erat ratio ob crudos Russorum mores, item artium ac reimilitaris ignoran-

rantiam; insuper quum milites Praetorianos *Strelitios* dictos in officio continere non valentes continuis motibus intestinis agitabatur Russia. Tandem *Petrus Alexiovits* his omnibus abusibus remedium adferens, compositis turbis, latisque novis legibus ac constitutionibus, omnem reipublicae formam mutando, sumum Imperium ad se, suosque posteros jure primogeniturae transtulit cum novo et antea inusitato *Imperatoris Russorum* titulo; cujus hodiernus dignissimus haeres, Invictissimus Imperator *Alexander I.* non tantum in omnimodam Russorum felicitatem, sed etiam in salutem aliarum gentium, indefessos suos conatus pro virili convertit; quare juste amor ac deliciae generis humani nominari meretur; cui Salutem et Prosperitatem vitae precamur. *a*)

§. 4. *Status Belli et Memoria Principum Virorum.* Fundatorem Gentis Russicae passim *Ruricum* Slavorum seu Roxolanorum ducem statuunt ut in Slavicis innuimus, inter cujus successores Duces memoratur *Voladamirus* qui ducta sibi in conjugem *Anna Baslii II.* Imperatoris Constantinopolitani sorore non modo ipse Christianam Religionem assumsit, *b*) sed etiam

---

a) Status Politicus illustratur in Libro de Republica Moschoviae, prodivit Lugduni Batavor. 1650. in 12. item in Adami Oleari opere, Slesvigae 1656. scripsit etiam Jacobus Ulfeldus de Legatione Moscovitica seu Hodoeporico Ruthenico cura Melchioris Goldasti edito Francofurti 1627. *b*) Alii dicunt Matrimonio sibi junctam fuisse Helenam, sed contra Chronologiam ad a. 1237.

etiam eo volente cuncti Russi eandem Graecorum ritu assumserunt. Cujus successores obscuri sunt usque ad *Joannem Basilii* Coeci filium, sub quo Moscovia aliquantum caput extollere coepit; nam ante eum Russia erat divisa inter complures Duces, qui passim ob ignaviam, et motus intestinos saepe jugum Tartarorum subire cogebantur. Ceterum *Joannes* excusso Tartarorum jugo, subjugatisque aliis contentiosis principibus, interquos potentissimus erat Dux magnae Novogardiae, cujus opulentissimae Urbis divitiae vix 300. vehiculis efferri poterant. Atque hic *Joannes* erat Primus Russici Imperii conditor, qui absolutam potestatem inducens, primus sibi titulum *Principum omnium Russorum* asseruit. Post hunc *Joannem Basilidem* regnarunt sequentes uti: *Basilius*, *Joannes* vel *Ivan Basilovits II.* qui immanis Tyrannus evadens, brevi Russicum Imperium duobus Tartariae regnis, nempe *Casano* et *Astracano* auxit. Hunc excepit filius ejus *Foedor Ivanovits*, dein *Boris Gudenow*, *Basilius Zusky*, *Michael Foederovits*, *Alexius Michaelovits*, et *Foedor Alexiovits*, inter cujus filios *Ivanum* et *Petrum* atrox contentio de imperio obtinendo enata est agente imprimis eorum sorore *Sophia*, quae post detectas ejus insidias, quum in Monasterium fuisset relegata; *Ivano* imperium sponte cedente, *Petrus* obtinuit. *a*)

Pe-

---

a) De Ducibus Russiae seperatim scripserunt: *Da-*

Petrus I. Alexiovits, *Magnus* ob praeclara in Russiam merita dictus, sub cujus prudenti regimine, ad quod a natura erat natus, Moscovia ad summam nominis celebritatem et potentiae gradum pervenit; hic enim in bello magnus, sed in pace longe major Princeps erat: qui cum dudum desiderata disciplina Militari etiam ingenuas artes et Literas magna virium contentione in Russiam positis maximis fundationibus induxit: cujus optima conamina vel ideo aeternam memoriam merentur, quod gentem numerosissimam et antiquissimarum superstitionum tenacissimam, tamen instillatis salutaribus principiis ad politiorem vitae ducendae rationem et culturam, difficillimis licet laboribus perduxerit; unde merito maximus Russicae Gentis conditor dici meretur. Cujus sagata acta praecipua erant: Bellum cum Turcis tanta constantia et fervore gessit, ut eis munitissimam Urbem *Azow* ad litora Tanais sitam feliciter eripuerit. Pari armorum successu bellum gessit etiam cum *Carolo XII.* Svecorum Rege, cujus munitissimas Urbes uti *Schlüsselburgum* Ingermanniae, et *Dorpatum* Livoniae spontanea dedi-

niel Princz a *Buchav*, Gubenae 1681. Petrus Petreus Chronica Moscoviae, Lipsiae 1620. in 4. Joannes Mosquera, de adeptione Imperii paterni Demetrii Principis, Madriti 1609. Joannes Derbornius scripsit vitam Joannis Basilidis, Wittebergae. 1585. Conradus de Klenck. Amstelodami 1677. Adolphus Lysecky. etc.

deditione coepit; inde ultro digressus, decretorio proelio ad *Pultavam* commisso omnem Svecorum exercitum internecina clade delevit; cujus pugnae consectarium erat; ut quidquid Sveci in Livonia adhuc tenerent, nunc in potestatem Russorum concesserunt. Quo armorum successu territi Sveci, tandem a. 1721. bellum pace *Niestadiensi* compositum est. A quibus felicissimis victoriis *Petrus* quum per orbem celebrari coepisset, Titulum *Imperatoris Russorum* assumsit. In perennem vero sui memoriam condidit Imperii Russici hodiernam Metropolim, ab ejus nomine *Petropolim* dictam, magnificentissimis aedibus ornatam; in quam etiam sedem Imperialem transferens, mortuus est 1725. cui successit:

Catharina Alexievna Imperatrix et vidua defuncti *Petri Magni*, quae tanta laude et nominis sui gloria Maximi Imperatoris vestigia secuta est, ut ejus et mariti tamquam conditoris optima instituta salva et inconcussa serventur; quae tamen brevi mortua est 1727. cui seccessit:

Petrus II. nepos *Petri Magni*, qui tertio Imperii anno variolis decessit 1730.

Anna Ivanowna ex fratre *Petri Magni* nata, antea Curlandiae Ducissa, quae ad salvandum imperium mox initio regiminis felici successu cum Tartaris et Turcis hostilitates exercentibus bellum gessit, quod vix pace erat compositum, Imperatrix in agone constituta, nepotem suum bimestrem *Joannem* III. *Antonii Ul-*

rici

rici Ducis Brunsvicensis filium imperii haeredem constituit ea lege: ut eo minorenni existente, imperium gubernaret *Ernestus* Comes de *Biron* qui et Dux Curlandiae erat: ipsa vero Imperatrix mortua est a. 1740.

Joannes alias *Iwan* III. fuit Princeps natus Brunsvico-Beverensis, ex ultima defunctae Imperatricis voluntate imperium sub tutela *Bironis* Comitis obtinens, brevi altero regiminis anno, invidia aut injuria nonnullorum aulicorum ab imperio amotus, ac una cum matre custodiae mancipatus est; cujus thronum conscendit:

Elisabetha Petrowna Petri Magni gnata, quae miro rerum humanarum eventu, ac sine regnandi cupiditate imperium sibi asseruit 1742. eorum etiam voto qui infantis principis imperium minus adprobarent. Quae prudentissima femina mox ad evitandas Pricipum factiones quoniam ipsa prolibus careret, nepotem suum *Carolum Petrum Ulricum* Ducem Holsatiae et Chiloniensis sub nomine *Petri Foederovits* Imperii successorem constituens, *Mariae Theresiae* Hungarorum Reginae contra *Fridericum* II. Borussiae Regem decertanti auxiliares copias mittendo, Borussum ad maximas angustias redegit; ante tamen ejus belli finem ipsa Imperatrix *Elisabetha* obiit 1761.

Petrus III. Foederovits Bellum cum Borussis continuans brevi pace composuit pro maximo Borussorum emolumento; qui dum maximos con-

contra Danos belli faceret apparatus, altero imperii anno 1762. imperio et vita privatus est.

Catharina II. Uxor defuncti *Petri III.* ex familia *Zerbstensi*, marito crudeliter occiso, Imperium occupans, illud magna prudentiae laude administravit; moxque felici successu terra marique bellum cruentissimum cum Turcis gerens, fatale exitium Imperio Ottomannico paravit; cui post praeclara in omnem reipublicae partem instituta morienti successit filius *Paulus* Magnus Dux Russiae. 1796.

Paulus I. inter maximos armorum strepitus, mature evigilare volens, rem militarem rite organisavit, sublato aulae splendore, reditus imperii in meliorem ordinem redegit, monetas auxit; abusibus Magistratualium saluberrimis legibus latis mature subvenit. Gallos inductae reipublicae osores ac suam patriam deserentes benevole excepit. Foedus armorum cum Austriaca Domo et Anglis a matre initum confirmavit. Duce *Suvarow.* validum exercitum maritimum contra Gallos expedivit, Jonicas insulas occupavit; et postquam *Suvarov* in Italia feliciter decertasset; *Korsacow* vero *Napoleonis* viribus resistendo impar exstitisset, militiam suam in Russiam revocans, mox foedus armorum contra Gallos inivit cum Borussis Svecis et Danis imprimis ad navigationis securitatem, cujus tamen conatus multum Angli impediverunt. Quibus curis fatigatus mortuus est a. 1801. et successit ei filius.

Ale-

Alexander I. Paternum cum Gallis bellum continuans, per varias pacificationes et Principum foedera Imperium Russicum ad maximam potentiam perduxit, mercaturae causa controversias cum Anglis composuit, cum his, item Austriis et Svecis contra Gallos societatem iniens, quum ad *Austerlitz* infeliciter pugnasset, exercitum reducens, Hannoveram Borusso cessit. Dum vero bellum cum Gallis recruduisset, partem exercitus sui Borusso, partem vero in Valachiam contra Turcos *Napoleonis* foederatos expedivit, unde bellum Turcicum initium sumsit. Cumque Galli Borussos ad *Jenam* profligavissent, victricibus armis capto *Dantisco* Russiae regionibus imminebant, quos nisi pace *Tilsitensi* 1807. amovere potuit, Jonicas insulas antea occupatas iis cedendo. Post haec Bello cum Turcis renovato, eorum classem duce *Siniavin* ad *Tenedum* insulam delevit: moxque Anglis et Svecis bellum denuncians; infelici successu classem suam ad *Ulyssyponam* Anglis cedere debuit. Ceterum 1809. renovato cum Austriis et Gallis bello se Austriae associans, pace Viennensi Galliciam orientalem obtinuit. Similiter etiam cum Svecis pacem iniens acquisivit Finniam, Bothniam et partem Insularum Alandicarum. Porro bellum cum Turcis renovatum adeo feliciter gessit, ut tentatis saepe pacificationibus, non prius pax coalescere potuerit, quam etiam vires adversus Gallos converterent; qua ratione 1812. pax *Bucheresti* confecta est ea lege: ut Russi Bessarabiam

biam et partem Moldaviae accipiant. Tandem variis belli calamitatibus bello diuturno Gallico fatigatus, postquam Gallorum exercitus ad *Moscuam* frigore quam armis magna ex parte periisset, foedus Christianum cum Domo Austriaca et Borusso iniens, plenam ad Lipsias reportavit victoriam, unde cum foederatis Parisios profectus, communi voto *Napoleon* exauctoratus in *Elbam* insulam missus, sed brevi inde elapsus imperium resumere tentans, maxima pugna ad *Watterloo* victus 1815. et captivus ad insulam *S. Helenae* deportatus est. *Alexander* vero Imperator praeter belli expensas; etiam in proemium victoriae ex decreto congressus Viennensis accepit Ducatum Varsaviensem et maximam Majoris Poloniae partem, quas regiones titulo regni Poloniae tenet: et optimis suis constitutionibus salubriter gubernat.

§. 5. *Status Literarum et Artium.* Russia diutissime inter omnes Europaeas gentes inculta perstitit ob inveteratam Russorum ferociam et superstitionem; donec *Petrus M.* ad politiorem vitae culturam populares suos permovere volens ipse prius peregrinationem in Germaniam, Belgium, Angliam ac alias cultissimas regiones assumsit; inquibus instituta, mores, artes, et scientias observans, celeberrimos artium Magistros et viros doctos amplissimis proemiis cumulatos secum in Russiam asportavit, inter quos *Franc le Fort* celeberrimus erat, cujus consiliis usus, mox suos antea adhuc fere in barbarie viventes, propo-

sitis;

sitis praemiis ad exercendas artes, tractandam agriculturam et promovendas res domesticas permovit, alios vero a laboribus abhorrentes poenis etiam adegit; pro occupatione civium varias fabricas erexit, eosque ad negotiationem exercendam classem construere docuit, mercaturam maritimam promovit: Cleri auctoritatem auxit, utque viri Sacri et Profani amplius in honestis disciplinis scientiisque tam humanioribus quam sublimioribus rite informarentur instituit a. 1724. Celeberrimam Scientiarum Academiam *Petropoli*, quae hodie etiam magna nominis celebritate floret cum adjecta celeberrima Scientiarum Societate. — Hujus Magni Imperatoris filia *Elisabetha* paternis virtutibus praedita, singulari sollicitudine ac liberalitate mercaturam, artes et scientias complexa est, quae Academiam Petropolitanam novis reditibus auxit et majoribus privilegiis ornavit. Pro majore commoditate Russorum a. 1755. magnis sumptibus erexit *Moscuae* Amoeniorum Artium Universitatem. *Catharina II.* Artifices in Russiam venientes variis privilegiis honoravit. Civitates amplissimis aedificiis ornavit, Agriculturam ut amplius promoveret, *Petropoli societatem oeconomicam* instituit. Publicam rationem Educationis induxit et ordinavit, pro Classicis Authoribus, celeberrimorumque virorum operibus in linguam Russicam transvertendis 1796. specialem Academiam erexit. Hodie autem cum summa hummanitate, clementia et popularitateImperans *Alexander* I. sciens a proba educatione plurimum pendere fe-

licem reipublicae tranquillitatem, ideo viros probos e variis regnis sicut et ex Hungaria consensu Regum, maximis praemiis ad ornandam et cultivandam Russiam evocat, eos in numerum nobilium adscribit; giganteisque passibus suos subditos in omni artium genere adeo excollit, ut brevi cunctis gentibus Europaeis facile palmam praeripere videatur: ex cujus facto patet quantum valeat favor Principis, ad cujusque gentis culturam. *a*)

Caput XII.

Exhibens Historiam Turcorum.

§. 1. *Statistico Geographica notio Turciae.* Turcorum meminit *Pomponius Mela b*) ad Tanais fluvium, ubi silvas magnas inhabitabant, hi annis circiter centum ab obitu *Mahomedis*, ut Scythicae gentes per portas Caspias et montem Caucasum egressi sedem posuerunt in eo Asiae

---

a) De Russorum Historia Lege Stritterum. In memoria populorum olim ad Danubium et Pontum Euxinum habitantium, prodivit Petropoli. *b*) L. 1. et Plinius L. 6. c. 7.

Asiae, tractu qui hodie Georgiae et Turcomanniae nomine venit; hi postquam varia bella cum Saracenis gessissent, tandem in unam gentem coaluerunt et vastissimum imperium successive fundarunt, et quum *Mahomedis* doctrinam adoptassent se ipsos *Musulmannos* id est *circumcisos*, vel juxta alios *recte credentes* vocarunt; *Turcae* enim appellari nolunt, quia contumeliosum nomen esse putant. Ceterum successive utriusque gentis imperium in varias Dynastias fuit divisum, inter quos Dynastas nominatissimus erat *Ottomannus*, cujus potentissimum Imperium varias provincias Europae, Africae et Asiae in hodiernum usque diem complectitur; et quidem in Europa extenditur usque ad sinum maris Adriatici, mare Aegaeum, Propontidem, Tauricam Chersonesum, et Valachiam, item ad fluenta Danubii ad Belgradum. In Africa habet Turca universam oram maritimam ab oppido *Bellis de Gomera* usque ad mare rubrum. In Asia etiam quam latissime se extendit. Regio maxima ex parte frumenti omniumque leguminum fertilis, abundat lino et gossypio, vineas quoque habet et fructus sed non in omni regione, ut in Cappadocia et Armenia ob intensum frigus: habet et fodinas auri, argenti, ferri, aeris et aluminis, magnam copiam pecudum, camelorum, mulorum, equi sunt celebres. In his ditionibus quatuor habet opulentissimas urbes uti *Constantinopolim*, *Cairum*, *Alepum* et *Taurisium*. Constantinopolis ut olim sub Gracis,

ita

ita et nunc sub Turcis est sedes Imperialis, alias *Byzantium* dicebatur. *Alepum* maxima Syriae urbs et emporium celeberrimum, quo mercimonia Asiae undique conveniunt. *Taurisium* seu *Tauris* olim amplissima Persarum civitas, quibus ante ducentos circiter annos ademta est. *Cairum* inter omnes Africae civitates hodie etiam primatum tenet; sunt et alia innumera oppida; in quibus maxima solicitudine exstruere solent spatiosas Moscheas seu templa et Xenodochia, item balnea, aquaeductus, vias, pontes et alia publica opera omnino spectabilia. In Urbe Constantinopoli eminet Imperiale palatium vetustis monumentis, uti et Templum *S. Sophiae* ac alia. Imperium *Ottomannorum* est prorsus despoticum, exceptis quibusdam familiis in urbe Constantinopoli. Provincias occupatas in bellis videbimus. Quod mercaturam attinet: Turcae rerum Asiaticarum et Africanarum omnem negotiationem exercent cum tota Europa per, varias vias signanter cum Hungaris per Danubium. Praecipuae regiones Turcium Imperium efficientes sunt: Palaestina seu *Terra Sancta*, alias terra *Promissionis*, seu *Chanaan* de qua in Hebraicis egimus. Tota Asia minor seu *Natolia*, ubi olim maxima regna fuerunt, uti Trojanorum, Croesi, Mithridatis, Antiochi; Paphlagonum, Galatarum, Cappodocum, una cum Syria, Aegypto et Babylonia, Phrygia, Mysia, Caria, Aeolides, Jonia, Dorides,

item Cyprus cum insulis Stalimene, Chio, Mitylene, Negroponte, Cerigo et Rhodo. etc. *a*)

§. 2. *Status Religionis et Consvetudinis.* Turcae Mahomedanam religionem de lege profitentur, ideo ejus religionis ortum et progressum brevibus hic adumbrabimus sequentibus: *Mahomedes* a natura erat astutissimus natione Arabs, patria Meccanus vel juxta alios Cyrenaeus de secta koreischitarum, multa cum Judaeis communia habens, Credidit unum Deum; conditione erat in Aegypto Servus, et literarum plane rudis, ingenio versipellis, dein matrimonio dives, sed morbo Epileptico continuo vexatus, quem in nequitiae velamen convertens; suas re velationes fraudulentas propalare coepit anno aetatis 40. ad initia *Heraclii* Imperatoris an. Christi 622. De ejus nativitate, miraculis, et revelationibus Gabrielis Archangeli, quibus Alkoranus abundat, missis sententiis; sequentia adjuncta ei favebant uti: Christianae religionis miseranda facies ob haereses et morum corruptelam; ad quod accesserunt opes ejus ex matrimonio

a) Imperii Turcici fines, late per Asiam, Africam non parum in Europam extenduntur, de quorum origine et progressu Legendi sunt Georgius. Phrantza, et Laonicus Chalcocondylas, qui et Byzantini scriptores. Item recentiores, Joan. Henric. Hottingerus in Historia orientali ex monumentis collecta, Tiguri 1651, Ludovicus Ceruarius Florentiae 1590. Joan. Bapt. Egnatius Coloniae 1539. Joannes Cuspinianus de Turcorum origine Lugduni Batavorum 1654.

monio, popularium rebellio contra *Heraclium* Imperatorem, qui eum ob rerum admirationem Ducem elegerunt. Cui Consilio erant praeter *Abubekerum* et *Osmanum* etiam *Sergius* Monachus Nestorianus, *Joannes Antiochenus* Arianus, Jacobita *Berra*, item Judaeus *Abdalla*: horum igitur Consilis in Arabiae desertae urbe *Mecca* doctrinam proponere coepit, sed a Magistratu ut seditiosus dum persequeretur *Medinam* fugit anno Ch. 622. die 16. Julii, a cujus fuga initium sumit Aera Saracenorum quam *Hegiram* vocant. Conflavit Doctrinam ex principiis Christianorum, superstitionibus Arabum et Gnosticorum, nec non ritibus Judaeorum, ut sic gentes doctrinam carni et sangvini faventem eo facilius adoptarent; cujus *fundamentalia* alia erant *Dogmatica* alia *Ritualia.* Fundamentalia Mahomedanismi capita sunt quinque, quae in *Alkorano* pro regula praescribuntur uti I. omissis idolis credere unum *Deum II.* jejunare toto mense *Ramadhan*, sed ita ut nocturnae commessationes permitterentur III. Praevia ablutione Meccam versus converso quinquies per singulos dies orare IV. Chraritatis praeceptum erat Eleemosynas pauperibus erogare. V. Semel per vitam Meccam adire; (ubi falluntur qui credunt sepulchrum ejus in cista ferrea vi magnetica suspensum teneri.) *Dogmatica* ejus principia imprimis erant de Christianismo sumpta, uti De uno vero *Deo* et ejus Providen-

tia, *a*) de *Mose*, *Christo*, ultimo judicio, statu animarum post mortem, Paradiso et Inferno, ac ipso *Mahomede*. Totus liber *Alkoran*. constat ex sententiis et capitibus. — Porro *media* quibus *Mahomedes* ad propagationem suae Doctrinae usus erat sequentia sunt: Confusio variorum rituum ex Christianismo, Gentilismo, Arabismo, et Judaismo. Vis et terror gladii, occupatae regiones per se et Caliphas successores. Concessa conscientiarum libertas. Carnalium voluptatum, Polygamiae et divortii permissio. Omnium disputationum de religione proscriptio sub capitis poena. Miraculorum nulla possibilitas, praeter suas fictas revelationes etc. Ceterum in hac etiam Religione mox post mortem *Mahomedis* quae contigit anno Hegirae XI. seu an. Ch. 632. variae sectae sunt enatae, uti *Alidarum* et *Omaitarum*; controversia de jure successionis orta est, quoniam *Mahomedes* successorem designavisset generum suum *Ali*, sed soceri ejus uti *Abubeker*, *Omar*, et *Othman* jus successionis sibi primo vindicabant. *Alium* et posteros tamquam legitimos *Mahomedis* successores statuunt fuisse Persae et quidam Indi, qui Alkoranum solum venerantur, et *Alii* necem lugent annuo ritu. *Omaitae* autem praeter Alkoranum etiam traditiones venerantur, observantque preces, jejunia, balnea, tegumentum capitis etc. Hunc ritum tenent Saraceni, Ae-

---

a) Joan. Henric. Hottingerus. Hist. orientalis, Tiguri editae 1651. L. 11. c. 4. et Forbesius. Instruction. L. 4. c. 4. etc.

gyptii, Turcae, Mogolenses. Variarum autem Sectarum nomina memorant 72. quibus commune nomen est *Musulmannorum* ut *Hottingerus* et alii referunt. Ad eorum Consvetudines imprimis pertinent variae superstitiones, frequentes ablutiones, Circumcisio puerorum jam grandescentium, abstinentia a Carne porcina, suffocato et sangvine, crebrae peregrinationes, inprimis ad *Meccam. a*)

§. 3. *Status Politicus et Forma Regiminis.* In Historia Turcica duae praecipuae Epochae notandae sunt; prout videlicet Turcae *Principibus* sive *Caliphis*, dein Imperatoribus *Ottomanicis* paruerunt. Posteaquam enim Scythicae quaedam gentes ad initium Seculi VIII. per portas Caspias et Montem Caucasum egressae sedem fixissent in eo Asiae tractu, qui nomine Georgiae et Turcomanniae noscitur, cum vicinis Saracenis eodem Seculo post varia bella, imprimis religionis gratia in unam gentem coaluerunt; nihilominus tamen utriusque gentis unitum Imperium sensim in varias Dynastias seu Caliphatus erat divisum, inter quos *Caliphas*

---

a) Praeter citatos, huc faciunt: Georgii Elmacini *Historia Saracenica* cum versione Latina Thomae Erpenii, Lugduni Batavorum 1625. continet Chronologiam Muslimorum a Mahomede primo Religionis auctore. Item Roderici Ximenis *Historia Arabum.* Annales Othmanidarum latine reddidit Joannes Leunclavius usque an. 1588. Francofurti. etc.

phas seu *Sultanos* famosissimus evasit successive quidam *Ottomannus*, qui subjugatis vicinis Caliphis, realia fundamenta posuit vastissimo Imperio Turcico, quod in hunc usque diem floret sub nomine *Portae Ottomannicae* cujus sedes Constantinopoli est. Hic felicibus armis Cappadociam, Pontum, Bithyniam, Pamphiliam et Ciliciam regiones opulentissimas sui juris fecit, ejus vero successores pari armorum felicitate, Mysiam, Lycaoniam, Phrygiam, Cariam, Niceam, Adrianopolim, Servios, Bosnenses, Bulgaros, Valachos, Moldavos, Trapezuntem, Croatiam, Dalmatiam, et Hungaricae magnam partem usque Jaurinum in suam potestatem variis temporibus redegerunt. Quae regna Turcici tyrannidi suberant, in quibus eo tum, sicut et hodie in Turcia nulla datur nobilitas ex antiquitate sangvinis, sed omnes aequales sunt, ac a Turcarum Imperatore mancipiorum loco habentur, ac proin *Ottomannorum regimen* est prorsus *despoticum*, Imperator enim est absolutus Dominus omnium rerum intra fines sui Dominii contentarum, nemo enim domus quam inhabitat, aut agri quem colit est Dominus, exceptis aliquibus familiis in Urbe Constantinopoli, quibus proemii loco et privilegio id concessum erat a *Mahomete II.* In omnibus autem devictis regionibus habet Imperator suos *Beglerbegos* et *Sangiacos*, quos pro voluntate sua ponit, aut amovet, et tales debent esse Religionis *Mahometanae* addicti. Stupendi hujus pro-

progressus *causa* adscribenda est tam desidiae ac vitiis Graecorum Imperatorum, quam etiam fortitudini et audaciae Turcarum, imprimis institutioni Militiae *Janizaricae.* Imperator hodie etiam quamvis voluntatem suam pro lege habeat, utitur tamen suo Ministerio seu Consiliariis, quorum Senatum *Divan* vocant. Omnium aliorum regnantium Principum Legatos Constantinopoli excipit, suosque ad alios Regnantes mittere solet, quos tempore indicti belli revocat more aliorum Principum. Justitia ubique strictissime administratur per sic dictos *Sangiacos*, secus hi de injustitia convicti strangulantur per missas ab Imperatore zonas. *a*)

§. 4. *Status Belli et Memoria Principum Virorum.* Licet Turcae jam seculo Christi I. ut ejus aetatis Scriptor *Pomponius Mela* ad an. Ch. 48. noti exstiterint, et ad Tanaim cum Tyrsagetis vastas silvas habitaverint, successive tamen eorum acta obsura aut ignota evaserunt usque ad Seculum VIII. centum circiter post *Mahomedis* mortem, quo evo per portas Caspias ut Scythica gens transgressa, hodiernam Georgiam consedit, ubi tamquam gens vaga, gravia

a) Statu Politico Turcarum legendi sunt Bartholomaei Georgievits Epitome de moribus Turcarum Genevae 1598. Joan. Bapt. Montalbani Commentarium Romae 1636. De aula Turcica scripsit Antonius Gaufraeus Basileae 1577. Petrus Bizari Basileae 1573. optima est Descriptio Nacolai Honigeri Basileae 1528. et Pauli Ricaut. Libris tribus Londini.

gravia bella gerere debuit cum vicinis Saracenis: cum quibus eodem Seculo tandem in unam gentem coaluit, eorumque Sacra amplexa est. In unito taliter Imperio Turcae variis Caliphis seu Sultanis suberant; inter quos Celeberrimus erat *Ottomannus* circa a. Ch. 1300. qui prima fundamenta posuit Imperii Turcici. Hic fuit Tartarus, miles *Magni Cham* homo praeceteris audax; qui praetextu injuriarum quarumdam a Tartaris secedens, coepit in Cappadocia montes insedere, qui initio 40. equites habens, brevi spe praedae quamplurimos scelerum conscientia motos accepit sectatores, quorum opera clam et palam vicinas regiores opulentissimas uti Cappadociam, Pontum, Bithyniam, Pamphiliam et Ciliciam occupavit: expugnataque Prusia Bithyniae urbe, sedem ibi fixit; a quo tempore ejus successores Principes Ottomannici, seposito Calipharum titulo, vocari voluerunt *Magni Sultani* seu Reges Monarchiae Turcicae: qui 28. annis regnans an. Hegirae 726. obiit. a. Ch. 1327. cui successit filius *a*)

Urchanes celeberrimis rebus in Asia gestis, *b*) limites ditionis suae ad Helespontum proferens, duce *Solimanno* filio translatis in Europam copiis a. Ch. 1357. Callipolim occupavit;

---

a) Leonclavius L. 3. p. 151. seq. Laon. Chalcocondylas L. 1. p. 7. Annal. Turcor. n. 15. — 18. *b*) Leonclav. L. 4. p. 179. seq. Annal. Turcor. n. 28.

vit; tandem 31. regni anno cum Tartaris decertans occubuit successit ei filius:

Amurathes I. egregius simulandi et dissimulandi artifex, laborum tolerantia et disciplina rei militaris Majoribus haud inferior, sub quo res Ottomannica mire crevit, nam contentiones inter Graecos dissimulando fovit, a quibus in auxilium contra Bulgaros vocatus in Europam trajecit, ac a. Ch. 1360. expugnata *Adrianopoli* sedem ibi fixit. Hic *Amurathes* dicitur fuisse primus militaris Seminarii fundator, quod constabat ex juvenibus captivis Christianis, quos magna cura tum in re militari quam in Sacris Mahomedanis erudiri curavit, qui dein *Janizari* seu novitii tirones vocabantur, quales *Janizari* hodie etiam exercitus pedestris robur constituunt, quo in instituto imitatus est Aegyptiacos Sultanos, qui ex captivis Christianis *Mamelucos* formarunt. Tandem dum Serviae et Bulgariae inhiaret, a *Lazari* Serviae Despota pugione confossus periit. a. 1389. *a*)

Bajazetes I. Fratre interemto rerum potitus omnium ferocissimus et fortissimus Thraciam omnem subigendam instituit, qui etiam quum Macedoniam, Phocidem et Atticam occupavisset, Servios quoque et Illyrios, item Valachos, caeso eorum Principe *Myrsa* ad tribu-

---

a) Leunclav. L. 5. p. 217. seq. Annal. Turcor. n. 30. Epistola Stephani Rasciae regis apud Lucium de Regno Dalmatiae. L. 5. c. 3. p. 445. Belius T. III. in Collect. Scrips. Hungar.

tributum pendendum adegit, jamque Constantinopolim obsederat in octavum annum, quum Hungarorum Gallorumque vires reformidans, relicta obsidione, ad *Nicopolim* cum iis congressus 1396. captis plurimis Gallorum ducibus, de *Sigismundo* quoque Hungarorum rege victor evasit; quo successu Bajazetes animatus denuo Constantinopolim contendit, cujus biennii obsidione jam de obsessis actum esse videbatur, nisi *Tamerlanes* Magnus Tartarorum *Cham* igni et ferro totam Asiam depopulari instituisset; cujus terrore *Bajazetes* attonitus aciem in Bithyniae finibus instruens, sed viribus impar victus et captus, aureisque compedibus vinctus per Asiam traductus, et inglorius a. regni 14. obiit. *a*) *Temerlanes Tartarus* erat ex *Zingis Chani* posteris heros fortissimus, natus an. Ch. 1336. qui varia fortuna imperio potitus 1369. maximis rebus tota Asia perdomita, ad an. 1402. cum *Bajazete* decretali proelio ad Ancyram Galatiae decertans eum vivum cepit, ipse vero *Tamerlanes* dum expeditionem contra Sinenses parasset, subita morte oppressus obiit, anno imperii 36. seu an. Ch. 1405. *b*) Post cujus mortem in Perside duae sunt ortae familiae de regno cer-

---

a) Annal. Turc. c. 49. seq. Leunclav. L. 6. p. 308. — 340. Laon. Chalc. L. 2. p. 31. — 43. *b*) Laon. Chalc. L. 3. p. 59. seq. Annal. Turcor. c. 60. seq. Leuncl. L. 7. p. 350. seq. Le. Croix. L. 6. c. 30.

certantes *Albi et Nigri Arietis*, ex quibus ultimo *Jooncha* caeso, imperio potitus est *Usum Chasan*, ex Albi Arietis familia qui erat Imperii Persici instaurator. Ceterum brevi prodivit etiam ex alia familia quidam *Sophi* religionis observantia celebris, qui genus suum ad *Alim* referens, ejusque institutum secutus *Sophilerorum* sectam condidit. Interim *Usum Chasan* post res praeclare gestas, inter suos successores nominatissimum habuit *Ismaelem* 1499. qui Secta Sophilerorum stabilita, ipse *Sophus* dictus, maximis rebus gestis, Imperium *Ottomannici* aemulum in Perside constituit. *a*)

Muhamed I. quum post mortem patris Bajazetis, decertantibus et exstinctis aliis fratribus, solus imperio potiretur 1413. cum Byzantinis pacem colens, Valachiae Vajvodam tributo subjecit, multa a Tartaris occupata loca recepit, atque instaurato Ottomannorum imperio, obiit 1421. *b*) successit ei filius.

Amurath II. magnis rebus gestis clarus, collapsam militiam Janizarorum restabilivit, feliciterque cum Christianis bella gerens, *Joannem* Imperat. Graecorum profligavit, Serviae Principes uti et Hungaros ad *Columbarum* vicit;

---

a) Jovius. L. 13. p. 239. seq. Leunclav. L. 10. p. 335. Gomez. T. I. p. 171. *b*) Ann. Turc. c. 67. seq. Laon. Chalcoc. L. 4. p. 91. seq. Leunclav. L. 12. p. 468. seq.

cit; licet autem a *Joanne Hunyady* saepius repressus esset, Christianos tamen temere pacem turbantes ingenti proelio ad *Varnam* attrivit, in quo *Uladislaus* Hungariae et Poloniae rex occubuit. *Amurat* inter hostes infensissimum habuit *Georgium Castriotam* a Turcis *Scanderbegum* seu *Alexandrum* M. obfortitudinem dictum: qui licet exiguum principatum haberet in Epiro, maximis tamen cladibus Turcas afflixit, dicitur enim 2000. Turcas manu sua occidisse. Obiit Amurath. 1451. *a*)

Imeperatores Ottomannici.

Mahometh II. sui aevi heros et Crudelissimus Tyranus, matre Christiana natus, omnibus scientiis imprimis Astronomicis eruditus, lingvarum Latinae, Graecae, Arabicae et Persicae gnarus, qui sub initium Imperii dum Caramanniae Principem perdomuisset, in tantam auxit potentiam ut jam ipsis Romanis Imperatoribus nihil praeter Urbem superesset: ideo versis contra Christianos armis, brevi duo Christianorum imperia evertit *Orientale* et *Trapezuntinum*, immensis enim copiis *Constantinopolim* obsidendo, 1453. die 29. Maj. expugnans, Orientale Romanum Imperium potestati Turcarum subjecit. Dein Imperium *Trapezuntinum* quod *Alexi-*

a) Leuncl. L. 13. p. 484. seq. et L. 14. Ann. Turc. c. 95. seq. Bonfin. Dec. III. L. 3.

Alexius Comnenus ante 250, annos fundaverat. capta urbe *Trapezo*, *Davide Comneno* rege capto ac cum omni familia Constantinopolim abducto, 1461. funditus delevit. Atque ita extincta est Monarchia Romana, ex cujus cineribus surexit novum Imperium Turcicum, quod hodie etiam floret. *a*) *Amurath* hic *Stephanum* Bosniae regem occidit. Cum Persis et Genuensibus feliciter bellavit, Moldaviam vastavit, Italis terrori fuit; ast a *Stephano Bathorio* in Hungaria 1480. magna clade affectus est: post quae dum magna moliretur obiit 1481. cui successit.

Bajazetes II. a praetorianis praeterito fratre *Zizimo* imperium obtinens, regnum magna gloria tenuit, Caramanniam, Bessarabiam occupavit, infeliciter Hungariam quoque tentans demum in Croatia victoriam reportavit. Frater ejus *Zizimus* exclusionem ab imperio aegreferens ad Christianos transfugit, quorum Sacra amplexus, dum auxilio Christianorum Imperium revindicare conaretur, in Italia ex insidiis decessit. Imperator vero intestino bello fatigatus, suorum conspiratione compulsus Imperium filio suo *Selimo* tradidit, an. aetatis 76. Ch. 1512. *b*)

Seli-

---

a) Leuncl. L. 15. p. 578. seq. Ann. Turc. 127. seq. Laon. Chalc. L. 8. Bonfin. Dec. 4. 2. — 5. *b*) Leuncl. L. 16. p. 595. seq. Ann. Turc. c. 158. seq. Bonfin. Dec. 4. L. 6. Jovius. Hist. sui temporis L. 13. 14. Thuan. L. 47.

Selimus Imperium invadens quum Mamelucos debellasset, *Alcairo* munitissima Aegypti Urbe expugnata, Sultanoque occiso, Alexandiam et totam Aegyptum suo imperio subjecit et Syriam occupavit, ipse vero mortuus est 1520. *a*)

Solimannus unicus *Selimi* filius, ob prudentiam et res praeclare gestas inter celeberrimos Turcarum Imperatores numeratur, qui propugnaculum non modo Hungariae sed totius orbis Christiani *Belgradum* expugnavit, fusisque in Campo *Mohats* Hungarorum copiis, ac ipsorum rege *Ludovico* II. occiso *Budam* Hungariae metropolim, item *Strigonium* aliasque urbes nobiliores occupavit; ab Urbe tamen Vienna quam strenue obsederat re infecta discedere compulsus est. Tandem ad *Sygethum* ubi *Nicolaus Zrinyi* magnae virtutis Hungarus viriliter pugnans occubuerat, ipse *Solimannus* an. regiminis 47. periit octogenarius 1566. *b*)

Selimus II. qui cum *Maximiliano* Imp. octo annorum inducias iniens, Cyprum Venetis ademit, Tunetum et Goletam occupavit, ac post memorabilem Christianorum victoriam ad Nau-

---

a) Leuncl. L. 17. p. 713. seq. Ann. Turc. c. 290. seq. Thuan. T. 2. c. 29. *b*) Leuncl. L. 18. Ann. Turc. c. 230. Bizarus L. 11. Istvanfi L. 13. — 15. Martin. Stella de Turcor. Successionibus in Hungaria ap. Schardium T. II. p. 125. seq. Thaun. L. 47.

Naupactum de Turcis reportatam, mortuus est 1574. *a*)

Amurath III. mox rebus in Perside turbatis, contra Persas bellum suscepit, quo etiam Tartaria minor certis legibus Imperio Ottomannico subjecta fuit. Dein versis in occidentem armis, cum *Rudolpho* Imp. et rege Hungariae in Croatia et Hungaria bellum gessit, quo fervente mortuus est 1595. imperii 21. successit ei filius. *b*)

Mahometh III. Vir mollis et iners, bellum paternum cum Hungaris ancipiti fortuna continuavit; qui luxui deditus nono imperii anno obiit. *c*) 1604.

Achmeth I, juvenis admodum patri succedens, quum Hungarico bello et Persicum accederet, inducias 20. annorum *Rudopho* Imp. concessit, ejusque titulum *Caesaris*, quem antecessores negaverant, agnovit, obiit anno 1614. *d*)

Mustapha vir vecors ac stolidus, tanto imperio moderando impar ob ignaviam inventus, a suis in carceres detrusus est.

Osmanus alias magnanimus princeps, cui tamen fortuna minus respondit, nam prima de Polonis relata victoria 1620. animatus, mox 400-millibus in Poloniam irruens ad *Chocinum* magna

gna

a) Idem. L. 49. *b*) Idem. et Istvanfi. L. 27. seq. *c*) Idem. L. 33. *d*) Idem L. 34. Mathieu. L. 7. Verdieir. T. 3.

gna clade profligatus, quum observasset calamitosum imperii statum ex nimia *Janitsarorum* potentia provenire, acceptasque infelices clades eorum seditionibus imputari, de iis exauctorandis, sedemque Imperii in Asiam transferre, coepit deliberare, sed Janitsari re mature cognita, *Osmannum* suffocarunt, et *Mustapham* e carceribus retractum iterum Imperatorem renunciarunt 1622. *a*) sed debilis Princeps turbato in imperio quum nullo modo dignitatem tueri novisset, iterum in carceres detrusus est.

Amurath IV. *Mustaphae* substitutus tanta severitate imperare coepit; ut si quid e manibus ejus cecidisset, apparitores per fenestras exsaltaverint, ne tarditatis rei, ob exiguam moram Imperatoris indignationem experirentur. Hic etiam summum sacerdotem Turcarum *Mufti* laqueo suspendi jussit, quod nunquam aliis evenerat. Cum Persis formidabile bellum gerens, eis Babyloniam eripuit; ipse vero obiit 1640. *b*)

Ibrahim omnium vitiorum sentina, ob violatam Pontificis seu *Mufti* filiam, a Janitsaris interfectus est. 1648.

Mahometh IV. qui Janitsarorum gravissimam seditionem feliciter consilio *Coprogli* magni Vesirii componens, quum observasset maximis calamitatibus Janitsaros occasionem continuo dedisse, ideo eam militiam penitus sufferre

---

a) Piasecius. p. 355. seq. 355. seq. Verdier. T. 3. Ricaut. T. 1. p. 5. seq. *b*) idem T. 1. p. 8 — 160 Piasecius. p. 491. seq.

re decrevit, quare magnam eorum partem in Candiam relegans, ibidem fame et ferro enecuit, quod ipsum et ejus successor fecit; quo facto major quidem securitas Imperatoribus fuit procurata, sed contra vicinos principes minor. Gravissima bella gessit cum *Leopoldo* Imp. et Rege Hungariae, cum Polonis, Russis et Venetis quibus et Cretam eripuit; *Caminiecam* Podoliae expugnavit; Hungariam iterato pervagatus, sed a Viennae obsidione rejectus, infelici bello amisit Hungariam causa *Tökölii* devastatam; Slavoniam, Peloponnesum, Moream cum maxima exercitus sui parte; ob quas infelices clades, exorta intestina seditione in carceres conjectus est 1687. *a*)

Solimannus III. Bellum antecessoris, cum Hungaris et Imperatore haud feliciori fortuna continuavit: qui obiit 1695.

Achmetes II. fratri succedens, eodem anno accepta ad *Salankemen* clade, adversus Christianos continuo infelix, Praefectorum suorum Asiaticorum defectione vexatus obiit 1695.

Mustapha II. Diuturnum cum Christianis bellum persecutus, eidem *Petrus M.* Russorum Imperator ademit munitissimam urbem *Asovam* ad ostium Tanais sitam 1696. eum similiter sequente anno *Eugenius* Princeps Sabaudiae decretorio praelio ad *Zentham* profligans, ad pacem

a a in-

a) Du Mont. T. 7. Part. 2. p. 12. seq. Ricaut. 5. T. p. 147. seq. Istvanfi Contin. L. 48.

ineundam compulit, quae etiam *Carlovitzii* 1689. confecta est cum ingenti provinciarum jactura; quare suorum conjuratione *a*) imperio privatus est 1703. cui subrogatus erat frater

Achmetes III. Cum Moscis, Venetis, Germanis et Persis varia fortuna bellum gessit; qui dum Scientias varias quarum summus Fautor et Cultor erat inducere conaretur una cum Typographiae usu, exorta conjuratione, tamquam religionis osor, quae omnem ingenii culturam prohibet, a suis dejectus est. 1730.

Mahomet V. post feliciter cum Christianis sed infeliciter cum Persis gesta bella, mortuus est 1754.

Osmanus III. in pace perpetua tribus annis regnavit, et cum sui desiderio obiit 1757.

Mustapha III· in formidabili contra Russos suscepto bello semper infelix, ad eas angustias redactus est, ut non solum munitissimas plures Civitates amitteret, sed insuper Russi victricia sua arma terra et mari circumferentes, ipsam etiam Constantinopolim obsiderent: quorum conatus ut tantisper impediret; confoederatis Polonis contra Russos maximo imperii damno auxilia suppeditavit.: quibus curis distentus obiit. 1774.

Achmeth.IV. initio statim imperii bellum cum Russis continuare volens, infelici successu Cubaniam

---

a) Du Mont. T. 7. Part. 2. p. 447. Ricaut. T. 5. p. p. 281, — 298.

niam, Taman, et Tauricas ditiones amisit, cum *Josepho* II. Imperatore causa limitum versus Hungariam bellum inchoavit, quo fervente mortuus est 1798.

Selimus III. bellum paternum pace *Sistoviensi* 1792. composuit. Nefandam Ministrorum suorum in *Divan* conjurationem, qui clam cum Gallis de evertendo throno pacti sunt, mature detegens, de iis dignam capitis poenam sumsit: quum autem duce *Bonaparte* Galli Aegyptum occapassent, vehementer offensus, mox *Selimus* cum Domo Austriaca, Anglis et Russis armorum societatem contra Gallos iniens, missa classe Jonicas insulas 1799. occupavit; continuatoque cum Gallis bello, Aegyptum recuperavit; Jonicas insulas Russis cedendo. Sic dum de tranquillitate reducenda *Selimus* meditaretur, seditiones gentium Europaearum, etiam regimen *Selimi* non parum corruperunt: Nam *Vidiniensis* Basa jugum Aulae excussit; Servii duce *Georgio Czerni* pro antiqua libertate revindicanda rebellarunt. Moldaviam et Valachiam infestarunt Russi. Angli vero classes Turcicas succenderunt ad Dardanellas. Quibus in adjunctis quum Selimus disciplinam militarem, novumque militiae genus inducere ad defendendum imperium voluisset; excitata domestica conjuratione 1807. exauctoratoque *Selimo*, novum Imperatorem *Mustapham* IV. sibi elegerunt; qui ut se in throno amplius firmaret, mox exauctoratum *Selimum* occidi jussit.

a a 2 *Mu-*

Mustapha IV. Gallis et praetorianis aperte favens, altero statim anno, a Basa Rudschukiensi *Bairaďtar* imperio deturbatus est, cui idem substituit

Mahmudem II. Juvenem principem 1808. qui composita Janitsarorum rebellione, pacem cum Anglis iniens, bellum satis infeliciter gessit contra Russos, nec prius pacem obtinere potuit, quam Bessarabiam et Moldaviae partem Russis cessisset 1812. Post haec Servios dudum pro libertate pugnantes ad obsequium revocavit. *Vehabitas* tamen in Arabia rebellantes ab hostilitatibus cohibere non potuit, donec eis 1814. Meccam eripuisset: a quo tempore ab Aegypti Praefecto variis cladibus fatigati, utcunque vires amittere videntur. Quibus in adjunctis etiam Graeci in variis insulis, antiquam libertatem recuperare nitentes, arma sua unitis viribus ad excutiendum jugum Turcicum convertere coeperunt et in hunc usque diem, magna utriusque sanguinis effusione ac constantia pro libertate vindicanda sustinent; cujus finem eventus docebit. Ex his inferimus cum *Ludovico Holbergio*, Turcarum arma continuo fuisse felicia usque ad *Solimanum* II. post cujus obitum, ob ignaviam et dissensiones Principum tantisper sisti coepit cursus victoriarum; imprimis vero a reformatione Janitsarorum adeo humiliata est potentia Ottomannica, ut ad solum nomen Christianum, quod antea nefarie contempserant; hodie plane trepident. Imo nunc per Christianorum Princi-

pum

pum constantes confoederationes, adeo sunt auctae vires Imperatoris Austriae et Russiae, ut non abs fundamento soli Turcae, fatalem imperii Ottomannici Epocham adesse autumant.

§. 5. *Status Literarum et Artium.* Turcae ex Scythia egressi ut falsorum Numinum cultores, ita etiam Literarum rudes exstiterunt; in qua simplicitate, vi assumptae religionis Mahometanae porro etiam in hunc usque diem fere perstiterunt; haec enim religio de lege prohibet omnem ingenii culturam, qua demum aliquando superstitiosa religionis suae principia cognoscere potuissent. Perviderunt quidem Sagatioris ingenii Imperatores literarum cognitionem ad feliciorem generis humani statum efficiendum omnino esse necessariam, sed ab effectuatione eos religio vana cohibuit. Nihilominus tamen jam *Mustapha III.* ut industriam, mercaturam et culturam inter Turcas promoveret, indulsit Christianis liberum religionis suae exercitium. *Achmetes* autem III. contradicente licet summo Pontifice *Mufti*, qui artem Typographicam lege Mahometis interdictam incassum clamabat, tamen Typographiam Constantinopoli instituit, quae alioquin est machina et vehiculum Scientiarum. Interim vigebat jam medio aevo Literarum cognitio in Aula Ottomannica, quoniam ipsi Imperatores variis scientiis imbuti fuisse dicantur, prout jam de *Mahomete II.* legitur, quod omnibus disciplinis vel maxime Astronomia fuerit eruditus, lingvarum insuper Grae-

Graecae, Latinae, Arabicae et Persicae gnarus. Praeterea tam ipsi Imperatores, quam ejus Ministri, uti et Sacrorum servi ac Pontifices, debebant Majorum suorum acta Sagata et Togata ex monumentis certis seu Historiis haurire; consequenter scientiae floruerunt clam et particulariter pro aliquibus ad id destinatis; non autem universaliter et publice pro omnibus. Nostris temporibus passim Statistae statuunt praeter majores humaniorum scientiarum Scholas, florere in Imperio Turico quingenta et amplius minora Gymnasia: suntque Complures scriptores exteri qui de rebus Turcicis commentati sunt: uti *Georgius Frantza. Laonicus Chalcocondylas. Joannes Henr. Hottingerus. Tiguri* 1651. *Ludovicus Ceruarius* Florentiae 1590. *Joan. Bapt. Egnatius* Coloniae. 1539. *Joannes Cuspinianus* Lugduni Batav. 1654. *Georgius Elmacini* Lugduni Batav. 1625. *Rodericus Ximenes. Joannes Leunclavius* Francofurti 1588. *Joan. Bapt. Podesta.* Noribergae 1672. *Wolfgangi Dreschleri* Chronicon Francofurti 1596. *Christian. Richerius* Parisiis 1540. *Ludovicus Tubero* Francofurti 1603. *Antonius Verderius* Parisiis 1662. *Paulus Ricaut*, quem excepit *Rogerius Manley* Augustae 1694. Politicum statum Turciae adnotarunt: *Petrus Gyllius* Lugduni 1632. *Barthomeus Georgievits* Genevae 1598. *Joan. Bapt. Montalbani* Romae 1636. *Antonius Gaufraeus* Basileae 1577. *Petrus Bizary* Basileae 1573. *Nicolaus Honnigerus* Basileae 1528. *Paulus Ricaut*

Lon-

Londini 1666. *Michael Feure* Parisiis 1686. *Joannes Bapt. Tavernier* Nürnbergae 1681. et Hungari scriptores. Istvánfius Bonfinius. Belius, et ex his recentiores.

Caput XIII.

Exhibens Historiam Hungarorum.

§. 1. *Statistico Geographica notio Hungariae.* Stricte sumendo Hungaria complectebatur eas regiones, quas olim Pannonias, TransDanubianam Jazygiam et Dacorum terras nominabant; universim hae regiones, Hungariae nomine et hodie veniunt ab Hunnis aut Hungaris Scythiae populis. Diversis temporibus diversos habuit terminos ut patebit ex Historia Pragmatica Regni Hungariae per me elaborata. *a*) Primis Hungarorum temporibus terminos habuit ad meridiem *Savum* fluvium, quo a Croatia et Servia separabatur. A septemtrione Poloniam et Russiam. Ab occidente montes Coecios, ac proin magnam

a) Lege Pauli Nagy Historiam Pragmaticam Regni Hungariae, critice elaboratam, Pestini 1823. editio secunda.

gnam partem modernae Austriae, usque ad *Samuelem Abam* Regem; ad meridiem Savum fluvium, ab oriente Transilvaniam. Regio haec jam ipsa loci amoenitate et coeli clementia satis se commendat, cujus agri omnium rerum fertilitate abundant, habet enim complures fodinas auri, argenti, cupri, ferri et salis, frumenti magnam copiam uti et pecorum, quorum innumera armenta in exteras regiones mittit. Porro Vinum largitur generosissimum in variis promontoriis Tokaiensibus, Menesiensibus, Agriensibus, Rustensibus, Somlyoiensibus, Varadiensibus etc. Feris etiam et avibus abundat. Hungariam olim incoluerunt *Poeones* sive *Pannones*, postea *Gothi* qui ab *Hunnis* erant expulsi; hi vero a *Longobardis* quibus successerunt *Avares*, qui per *Carolum M.* devicti et dissipati erant. Regnante autem *Arnupho* Imp. quum *Hungari* ex Scythia exeuntes loca ista occupavissent, varii populi inhabitarunt uti Bulgari, Valachi, Slavi etc. contra quos Hungaris decertandum erat ut desiderata patria potiri possint, qui sub Ducibus erant Pagani, sub regibus autem quorum primus erat *S. Stephanus* Religionem Christianam assumserunt, et Formam regiminis Regiam Monarchico Aristocraticam constituerunt. Ad majorem justitiae administrationem exercendam, strictioremque politiae observantiam Hungaria dividitur in Comitatus, quales 50. et amplius sunt. Hungariae adnexa est a *S. Stephani* temporibus Transilvania; item ab aetate *S. Ladislai* Croatia in hodiernum usque diem.

Potentia Hungarorum maxima fuit inter omnes Europae gentes sub *Ludovico I. Magno* sub quo Hungaria *Archiregnum* vocabatur usque ad *Mathiam Corvinum* Regem: propriis legibus et Constitutionibus gubernabatur semper. Quo ad Hierarchiam Ecclesiasticam dividitur in tres Archiepiscopatus, quibus subsunt alii Episcopi. Generatim dividitur hodie Hungaria in Cis et Trans Danubianam et Tibiscanam, totius regni metropolis est *Buda*, sic dicta a *Buda* conditore fratre *Attilae* regis, vel juxta alios a *Budinis* Scythiae populis, olim variis nominibus appellabatur uti *Sicambria*, *Curta* etc. hodie etiam situs amoenitate, aedificiorum ornatu, una cum adjacente splendidissima urbe *Pestiensi* praeceteris urbibus est nominatissima, multum a Turcis condam passa. Ceterum sunt etiam aliae urbes ac Civitates, Cultura et privilegiis celebres; uti *Posonium*, *Alba Regia*, *Jaurinum*, *Tyrnavia*, *Strigonium*, *Cassovia*, *Debrecinum omnium* populosissima; nam incolarum numerus ascendit ad 60. millia. *Magno Varadinum* olim sedes belli Turcici, cujus tristissima vestigia etiam hodie in effossis aut effodiendis terris deprehenduntur, et splendorem Civitatis probant, erat enim haec Urbs olim et Sedes et sepulchrum Regum: cujus ambitus ad quatuor milliaria Hungarica extendebatur. *Tömösvarinum* splendida in arce continetur. Nominatissima arx est *Comaromiensis* recenter et firmissime restaurata et amplificata, hactenus invicta furorem hostium elusit. Fluvii navigabiles praecipui sunt *Danubius*, *Tibiscus*,

Savus, *Dravus*, et alii minores, uti *Raba*, *Vagus*, *Garan*, *Sajo*, *Hernad*, *Crisius* tripplex, *Tarna* etc. Lacus etiam magnifici sunt uti: *Balaton* ad octo milliaria navigabilis; item *Fertö*. Montes praecipui sunt *Matra*, *Tatra*, *Fatra*, silvis vastissimis ornati; cujus modi silvae celebres sunt *Bakonyienses* et *Erdeliae*. Hungari nunc magnis passibus in omni genere Scientiarum et artium se excolunt; varias fabricas erigunt, celeberrima fabrica panni *Gatsini* est. Commercium splendidissimum et utilissimum exercent cum lana tam sericea quam communi, item cum praestantissimis Tabacis, generossimis vinis, sicut et spectabilibus equis ac saginatis cornutis pecoribus, purissimoque tritico. Optandum foret ne naturae producta in exteras regiones efferrent pro praeparatione; et praeparata Luxui servientia magno pretio sibi compararent.

§. 2. *Status Religionis et Consvetudinis.* Hungari ut ex Scythia Pannoniam venerunt erant Gentiles seu falsorum Numinum cultores, inprimis autem coluerunt *Martem* et *Herculem* aliosque patrios Deos, quorum auxiliis res Hungaricas adolevisse crediderunt etiam temporibus *S. Stephani* et tardius, ut rebellio Ducis *Cupani*, item Hungarorum turbulentus Status sub Andrea I. rege manifeste probant, postulantes: ut universum populum pagano ritu vivere, Scythicaque numina recolere, ad haec Episcopos et Clericos, Collegiatos Sacerdotes, christianos vel ma-

maxime peregrinos passim trucidare, Basilicas et templa omnia diruere permitteret. *a*) Ceterum Hungari in Pannonia circa finem seculi X. cum duce suo *Geysa* cooperante *S. Adalberto* Pragensium Archiepiscopo et *S. Piligrino* Passaviensi Episcopo ad Christi fidem primo conversi sunt. Ducis *Geysae* filius *Stephanus* primus Regio nomine insignitus, ut religionem novitiam Episcoporum consiliis firmaret, in regno suo Episcopales Ecclesias fecit decem, quarum Strigoniensem Ecclesiam metropolim et Magistram fore consituit. *a*) erant autem hi Episcopatus : Agriensis, Colocensis, Jaurinensis Quinque Ecclesiensis, Magno Varadinensis, Vaciensis, Alba Juliensis in Transilvania, Csanadiensis, Vesprimiensis, quibus limites designando dedit Episcopos viros probitate conspicuos, quosque in regno Proceribus anteposuit, iisque in congressibus publicis priorem assignavit locum; *c*) ut patet ex *S. Stephani* verbis: *Regium solium ornat ordo Pontificum.* His praeter decimas omnium proventuum suae Dioecesis, etiam amplissima bona assignavit, ut nullius rei indigi, Sacro suo munere fungi possint, ut Ecclesiae necessitatibus providerent, Magistris, qui juvenes instruunt digna stipendia subministrent; pauperes, orphanos et pupillos foverent. His Episcopati-

---

a) Biographus S. Gerardi C. 19. Thuroczius c. 39.
b) Carthuitius in vita S. Stephani c. 8. et 10.
c) L. Stephani Decretorum L. 1. c. 1.

patibus tardius accesserunt, Nitriensis, et Zagrabiensis in Croatia a *S. Ladislao* fundatus. *Maria Theresia* iterum fundavit Albaregalensem, Neosoliensem, Sabariensem, Scepusiensem et Rosnaviensem. Hodie vero gloriose regnans duos erexit Cassoviensem nempe et Szathmariensem, Episcopatum vero Agriensem, ad Metropolitani dignitatem sublimavit: unde hodie tres sunt Archiepiscopatus: nempe Strigoniensis, Colocensis et Agriensis. Strigoniensis Archiepiscopus est Primas Regni, Legatus. Sacri Romani Imperii Princeps, Cancellarius perpetuus et Summus Secretarius Regis, habet praerogativam Regem electum coronandi et inungendi, Sigillo majore privilegia Regia muniendi, Decreta Regia subscribendi, Nobiles Praedialistas creandi, iisque Praedia conferendi: Hanc Principem sedem Strigoniensem hodie cum Magna Hungaricae Ecclesiae gloria tenet Celsissimus Princeps *Alexander Rudnay*, Decus et Ornamentum Ecclesiae et Nationis. *a*) Porro *D. Stephanus* praeter Episcopatus etiam Abbatias reditibus regaliter disposuit, Ecclesias et Parochias aedificavit, varias fundationes posuit; Praedicatores verbi Dei in Hungariam invitavit, inter quos plurimi erant *Benedictini* de monte Cassino, quibus etiam erexit Monasterium in Monte Pannonio hodie etiam

---

a) Paul. Nagy Historiae Pragmat. Hungar. T. 2. p. 382. ubi praerogativae Archiepiscoporum Strigoniensium enumerantur.

etiam florens. Insuper ipse Rex tanto zelo egit sua opera, verbo et exemplo, ut palam in Ecclesiis verbum Dei proponeret, unde Apostoli partes explens, sibi et successoribus titulum *Regis Apostolici* a Pontifice meruit. Itaque Hungari in Religione Christiana rite imbuti, eandem etiam omnes continuo profitebantur, usque dum Novatores religionis in Hungariam quoque successive irrepsissent, qui dein horendum in modum Ecclesiam Hungaricam conturbantes, novis suis Doctrinis carni et sangvini faventibus, Hungaros etiam illustriores a vera Christiana fide, ad erronea placita *Lutheri* et *Calvini* pertraxerunt, unde funestissimae caedes mox consecutae, novatores non obstantibus severissimis publicis legibus, non modo Ecclesiam Hungaricam, sed et Statum politicum Regni ac cunctorum optimorum civium tranquillitatem mire turbabant usque ad tempora *Josephi II.* Imperatoris et Hungariae regis, qui ut Hungarorum, alioquin ejusdem Patriae filiorum, causa religionis dissentientium animos tandem componeret, publica lege *Decretum Tolerantiae* optimo plano edidit: vigore cujus toleratur in Hungaria non tantum utriusque Confessionis Helveticae nempe et Augustanae liberum religionis exercitium, sed etiam aliarum similium sectarum, cum suis Superintendentiis et Ministris. Porro ut Religio Christiana amplius in cordibus fidelium persisteret, in majus augmentum, adjutoriumque Ecclesiasticorum, inducti sunt va-

rii

rii Ordines Religiosi, qui ex Regum et Procerum liberalitate, Monasteria et intertentionem obtinuerunt; quales Ordines Religiosi et hodie plures existunt: uti Benedictini, Cistercitae, Praemonstratenses, Piaristae, Dominicani, Servitae, Carmelitae, Minoritae, Franciscani, Capucini, item Fratres Misericordiae ob piam aegrotorum curam instituti; qui etiam inter omnes cum maxima miserae plebis utilitate ac commoditate pio munere funguntur.

§. 5. *Status Politicus et forma Regiminis.* Hungari jam in ipso ex Scythia exitu an. Ch. 889. dum in Pannoniam venissent, Politicam regiminis formam habuisse videntur ex suis legibus fundamentalibus, vigore quarum elegerunt sibi duces, ex quibus primus erat *Almus* restricta potestate praeditus, ad cujus familiam jure haereditario eandem Ducis dignitatem transtulerunt juxta eam legem: ut quamdiu vita duraret, tam nos ipsi qui Ducem elegimus *Almum*, quam nostri successores, semper velimus nobis Duces et Praeceptores eligere de Progenie *Almi Ducis.* Tota igitur Historia Hungarorum commodissime dividitur in quatuor Periodos, prout nempe ratio Gubernationis mutabatur, aut transferebatur regimen ad aliquam Principem familiam. I. Periodus est *Ducum Almianorum* seu *Arpadianorum*, nam *Almus* restrictam habens potestatem, postquam dignitatem in filium *Arpadum* transtulisset, is more Chazarorum coronatus absolutam gubernandi accepit potesta-

tem,

tem, atque hic status *Ducalis* duravit usque annum Ch. 1000. Quo anno incipit Periodus II. *Regum Arpadianorum.* Nam *Stephanus* ultimus Dux, postquam religionem Christianam assumsisset, more aliorum Christianorum Principum se non jam Ducem, sed Regem nominari voluit, prout ejus titulum Regalem pro more seculi cuncti Christiani principes agnoverunt: et Romani Pontifices confirmarunt. Hoc in Statu *Regali* Regia dignitas erat et mansit penes familiam Arpadianam ita: ut non liceret Hungaris ex alia familia sibi Regem eligere quam ex Stirpe *Arpad.* Forma tamen regiminis erat *Haereditario Electiva* seu poterant Hungari jure liberae electionis quemcunque ex principibus Arpadianis sibi regem eligere, saepe praeteritis Regum filiis, etiam fratres Regum; verum haec libertas eligendi, maximis contentionibus et bellis civilibus semper occasio fuit. An autem haec haereditaria successio etiam ad faeminas extensa fuerit, nec ne? nulla lege aut consvetudine probari potest. Ceterum postquam Virilis stirps Regum Arpadianorum in *Andrea III.* fuisset exstincta a. 1301. tunc licet ad Hungaros rediverit potestas regem eligendi ex qualicunque Familia, tamen semper respectum habuerunt eorum principum, qui cognationem habuerunt cum stirpe *Arpad* per lineam Femineam; atque ex tali Reverentia elegerunt sibi *Venceslaum* Bohemum, *Ottonem* Bavarum, *Carolum Robertum* Neapolitanum ac alios, atque hinc incipit Periodus III.

Re-

Regum Variae stirpis ab anno 1301. usque annum 1527. quoniam hoc temporis spatio Hungari ex diversis familiis sibi Reges elegerint. Periodus IV. autem incipit ab anno 1527. et durat in praesens tempus, appellaturque *Periodus Austrica* ideo: quod Reges hoc temporis spatio semper eligebantur ex Stirpe Austriaca *Ferdinandi I.* Imperatoris et Regis Jure Haereditario Electivo; verum hac periodo varias subivit mutationes forma Regiminis; nam inde a *Ferdinando* I. usque ad *Leopoldum* I. M. quum jure liberae electionis reges eligerentur, observatum continuo erat gravissimis contentionibus Principum eligi volentium, et Seditionibus populi agitari Hungariam; ideo ut his seditionibus tandem finis poneretur *Leopoldus* I. M. relatis de Turcis victoriis, a. 1687. universos Hungariae et partium adnexarum ordines Posonium ad Comitia invitabat, in spem veniens consilii illius exequendi, quod Majores ejus frustra tentaverant; nempe ut antiquato electionis jure, successionis haereditariae Jus, *Primogeniturae* in se, posterosque suos Austriacos masculini sexus in perpetuum transferrent ita; ut si ejus linea deficeret, tunc alter stirpis virilis ramus, qui in Hispania regnabat succederet. Hungari igitur votis *Leopoldi* subscripserunt ea lege: ut omnes reges qui deinceps ex Domo Austriaca jure primogeniturae succederent, inaugurationis suae tempore solitum jusjurandum Ordinibus nuncuparent de servandis Nationis Hungarae immunitatibus

in

in *Bulla Aurea Andreae* II. anno 1222. lata, contentis, Huic petito Hungarorum annuit *Leopoldus* ita temperando: ut successores de omnibus Bullae aureae capitibus caverent, demta articuli XXXI. clausula, a verbis: *Quodsi vero nos aut nostri successores haec statuta infringerent, aut contrairent, Praelati et Nobiles non tantum contradicendi, sed etiam sesistendi habeant facultatem in perpetuum, quin notam infidelitatis incurrant.* Haec igitur clausula unanimi consensu obliterata est. Verum haec succedendi ratio brevi mutata est sub *Carolo III.* Rege, cujus benevolentia Status et Ordines unanimi voto permoti, quum ipse filio careret, in primogenitam ejus filiam *Mariam Theresiam* haereditarium jus in Hungaria et partibus adnexis succedendi transtulerunt ita: ut in hujus defectu *Josephi* I. per *Mariam Josepham* in Domo Saxonica: illis vero deficientibus, *Leopoldi* M. filiarum legitimi haeredes per *Mariam Annam* in Domo Lusitanica habeant jus in Hungaria succedendi. Hujusmodi jus feminis etiam succedendi in omnes haereditarias ditiones Austriacas assertum, solenni diplomate erat confirmatum, quod Diploma *Sanctio Pragmatica* appellatur: atque haec inter omnes Juris Publici constitutiones celeberrima est. Hinc quoniam Natio Hungara habeat regiminis formam Monarchicam legibus et constitutionibus temperatam, brevibus observare debemus Legem non esse Constitutionem; Lex enim omnis debet esse in ratione morum et cultura

b b gen-

gentis, ac proin mutata gentis cultura aut moralitate, ipsa etiam lex mutari debet: *Constitutio* autem exprimens officia Principis erga gentem, item obligationes gentis erga Principem, pro ratione mutari non potest. Ad Constitutiones igitur Hungarorum pertinent haec tria solum, nempe *Bulla Aurea* Andreae II. Secundo *Sanctio Pragmatica* Caroli III. Tertio *Diploma Inaugurale* cujusque Regis. Haec enim abrogari nullo in casu possunt secundum antiquam etiam Hungarorum Consvetudinem. *a*) Rex Hungariae quo ad Statum Politicum administrat regnum imprimis duorum Magistratuum auxilio, qui Magistratus alter *Sublimior*, alter *Minor* est. Sublimior in tres Magistratus dividitur: quorum I. est Gubernans Regnum, in quo sunt Palatinus Regni, qui proximus est a Rege, et Regis ipsius ordinarius Judex est, quem status et ordines communi voto eligunt ex quatuor candidatis, quod officium non est haereditarium: quod hodie magna justitiae lau-

---

a) Jus Publicum et Statum Politicum Hungariae vide apud Stephanum Werböczy qui scripsit opus Tripartitum Juris Consvetudinarii Ungarici, Viennae 1581. Tardius etiam editae Constitutiones Bottendorfi 1668. fol. Respublica et Status Regni Hungariae prodivit Leidae 1634. Georgius Pontanus a Breitenberg scripsit Dialogum de statu Hungariae Frankofurti 1596. Rudolphus Grossinger. Mariae Theresiae Magnae Dominae dicavit opus Jus Publicum Hungariae. Josephus Benczur. Hungaria semper Libera. Praecipue Comitis Antonii Cziráky. Historia Juris Civilis Hungariae.

laude tenet Serenissimus Dominus Dominus *Josephus* Archi Dux Austriae, et Caesareo Regius Haereditarius Princeps. — Dein *Judex Curiae* qui unus est ex Ordinariis regni Judicibus. *Cancellarius Perpetuus* qui est ArchiEpiscopus Strigoniensis et Primas Regni. *Magister Curiae* Regis comitatum sequi cogitur. *Tavernicorum Regalium Magister* aurifodinarum, Salinarum, verbo earum Civitatum ac Castrorum causas cognoscit, quae ad Fiscum Regium, pertinent. Ad hos pertinent alii Consiliarii, qui simul Senatum Regium seu hodie Excelsum Consilium Regium Locumtenentiale constituunt. II. Magistratus Sublimior Judicia tractat: uti est *Tabula Septemviralis* Supremum forum judiciarium, unde appellatio non datur, (nisi gratia Regis) hic imprimis praesidet Judex Curiae. Aliud forum est *Tabula Regia* cujus Praeses est *Judex Personalis Praesentiae Regiae*, huc pertinent Protonotarii et Assessores; ubi sunt et Jurati Notarii hodie innumeri; ex quibus post depositam et adprobatam censuram fiunt Advocati. III. Magistratus est Ministrans Regis, seu ad splendorem et Majestatem Aulae institutus, quales sunt: Thesaurarius, item Magistri CubiculariorumRegalium, Agazonum, Dapiferorum, Pincernarum, Janitorum etc. *Minor Magistratus* in singulis locis Juridicis est. Quia vero regnum alias est amplissimum, ad accuratiorem et faciliorem justitiae administrationem constituta sunt per provincias judicia particularia, quos dicunt *Comi-*

tatus uti Posoniensis, Nitriensis, Scepusiensis Gömöriensis, Pestiensis, Zempliniensis, Comaromiensis, Liptoviensis, Neogradiensis, Abaujvariensis, Bacsiensis, Ungensis, Trentsiniensis; Barsiensis, Hontensis, Borsodiensis, Bodrogiensis, Beregiensis, Turocziensis, Neosoliensis, Tornensis, Hevessiensis, et Szolnokiensis, Marmarosiensis, Ugotsiensis, Bihariensis, Szathmarien-Aradiensis, Szaboltsiensis, Temesiensis, Szaladiensis, Torontaliensis, Krassoviensis, Baranyiensis, Mosoniensis, Jaurinensis, Vesprimiensis, Strigoniensis, Sopроniensis, Tolnensis, Albensis, Simeghiensis, Castriferrei, Crisiensis, Syrmiensis, Varasdinensis, Poseganus, Zagrabiensis, etc. in quibus Comitatibus totidem Judicia sunt. Existunt praeterea quatuor Judicia alia; quae *Tabulae Districtuales* dicuntur: sunt autem *Debreczini*, *Eperjesini*, *Tyrnaviae et Gynsii.* Porro Hungari in Pannoniam venientes unicum statum habebant, omnes enim Hungari ex eodem Sangvine nati iisdem gaudebant juribus, juxta illam legem: quidquid per labores acquisiverimus nemo eorum expers fiat; nemoque a Consilio Ducis, aut honore regni excludatur. Ceterum *S. Stephanus* Regiam Dignitatem cum religione assumens, more Christianorum etiam ille Statum politicum rite ordinavit instituens Classes seu ordines Civium; quales erant ordines *Praelatorum* qui munia Sacra, *Procerum* qui officia Regni publica gererent: denique *Nobilium* qui rempublicam et Civium

vium tranquillitatem contra hostes defenderent et suis sumtibus militarent: atque hi tres Status seu ordines erant in Hungaria usque *Mathiam* II. regem, sub quo, Decreto post Coronationem art. 1 Quatuor regni Status, Episcoporum, Magnatum, Nobilium et Urbium Regiarum, quibus jus adeundi Comitia, et suffragii esset, constabiliti sunt. Hujusmodi Comitia hoc anno 1825. pro die 11. Septembris celebranda indicta sunt per Augustissimum Imperatorem et Regem in urbe Posoniensi, ubi praeter Regni negotia tractanda; imprimis pro Augustissimae Imperatricis *Carolinae Augustae*, *Maximiliani Josephi* Bavariae Regis filiae coronatione maximo splendore Hungariae Status convenerunt, et laetissimo omnium desiderio, Augustissimam Imperatricem *Carolinam Augustam* pro Regina Hungariae solenni ritu die 25. Septembris more recepto coronarunt; cui longaevam vitam et felicitatem precamur!

§. 4. *Status Belli et Memoria Principum virorum.* Hungarorum res proponet *Periodus Ducum* sub sex Ducibus ab a. 889. quo in Hungariam venerunt, usque a. 1000. quo *Stephanus* Dux posito *Ducis* titulo, *Regium* assumsit. Duces autem septem erant hi: *Almus*, *Arpadus*, *Zoltanus*, *Toxus*, *Geysa*, *et Stephanus*. *Almum* fuisse primum Ducem restrictae potestatis, satis probant leges fundamentales: cujus ductu Hungari per Russiam ad *Kioviam* inde in Hungariam, accedentibus septem Cumanorum

norum

norum ducibus, *Ed*, *Edun*, *Etu*, *Bunger*, *Ousad*, *Boyta et Retel* venerunt, relicta copiarum parte in Russia, pro illo terrae tractu quem bello occupaverant in officio continendo; quae pars *Porphyrogenito* nota erat; quam sic refert: *a*) Turcorum gens olim prope Chazariam habitabat in loco cui cognomen Lebedias (Eleudius) a primo ipsorum Boebodo; et quidem tunc temporis non Turci sed Sabartoeasphali quadam de causa dicebantur. Ceterum Hungari venientes in Pannoniam omnia loca vicina obsessa et munita repererunt, quorum gentibus uti Valachis, Bulgaris, et Slavis multum decertandum erat, donec desiderata patria potirentur, obtinuerunt tamen; et feliciter regnum suum in hodiernum usque diem propriis Constitutionibus conservant. Successit *Arpado* filius *Zoltanus* juvenis, cujus aetate a. 907. in rem suam usurus *Ludovicus* Germaniae Rex, Hungaros bello lacessere decrevit, qui irritati multo vehementius in arma ruentes, mox Bavarorum legionibus profligatis, omnia usque Augustam Vindelicorum igne et ferro consumserunt, nec nisi annuo tributo remoti sunt: quo non observato, Hungari brevi in Bavariam divisis copiis irrumpunt, Thuringiam, Saxoniam, et Lotharin-

a) Constant. Porphyr. L. de adm. c. 68. Fuse de gestis Hungarorum vide Pauli Nagy. Historiam Pragmaticam Regni Hungariae Tomo I. et II. Pestini 1823.

ringiam suis grassationibus devastant. Arma dein in Italiam, cui *Berengarius* praeerat suis ob avaritiam in visus, converterunt; et Papiam Veronam aliasque Florentissimas Urbes perdiderunt, inde praedis onusti in Galliam et Gothiam irrumpentes pari fervore eam devastarunt. Post haec *Henrici Aucupis* Imp. provincias devastandas suscepientes per Bojoariam, Alsatiam, Saxoniam, Westphaliam grassati, caedibus adeo omnia repleverunt, ut nulla vi retardari potuerint: tandem *Zoltani* ducis intercepti dimissione pacem novem annorum Germani obtinuerunt; Quibus elapsis denuo Hungari contra *Henricum I.* progressi, magnam cladem 934. ad *Merseburgum* acceperunt. Post haec Bulgaros infestantes, tantum metum orientis Imperatori incusserunt, ut datis et acceptis obsidibus inducias flagitaret. *a*) *Zoltano* mortuo 947. successit filius *Toxus*, qui militaris gloriae existimationem tot cladibus enervatam reparaturus mox in Bavariam infudit; cujus ductu profligati ibi Hungari, introierunt in Italiam et perrexerunt usque Hydruntem, ubi *Berengarius* decem modiis auri pacem emit. Dein magnum bellum gesserunt Hungari cum Bavaris et Germanis; quo eos invitabat atrox conspiratio Germaniae ducum inter *Ottonem* Imp. et filium *Ludolphum*

a) Ibidem. T. I. p. 102. seqq. Vitich. L. 1. p. 640. Luitprand. L. 2. c. 9. et L. 5. c. 6. Cedrenus p. 496. Porphyr. de adm. Imp. c. 40. etc.

dolphum ac generum *Conradum*, ubi post varias devastationes, tandem 955. ad *Augustam* Vindelicorum tanta clade erant affecti, ut Germaniae nunquam in posterum gravi bello aut populationibus fuerint molesti, sed animum ad Religionem et Rempublicam ordinandam adjecerint: ac proin haec pugna licet cruenta, Salutaris tamen fuit. *Toxo* successit 972. filius *Geisa*, quem gratia Dei praevenit, ut prudens consideraret mala maxima, quae sua gens tot aliis regionibus intulit, et crudeles strages quas ipsa vicissim passa est; qua propter in pace majorem spem habens, svasit genti suae: ut arma deponeret, et merces suas potius vicinis distraheret, quas sibi provincia sua copiose germinaret. Sub eo *Ottonis* Imp. svasu *Piligrinus* sumsit audaciam in Hungariam veniendi et Hungaros convertendi, adeo ut ipse etiam *Geisa* cum filio suo *Stephano* per *Adalbertum* Pragensium Archi Episcopum sacrum baptisma susciperet. *Stephanus* autem patri in ducatu 997. succedens, profligato rebelle duce *Cupano*, ducalem dignitatem in Regiam commutavit. a. 1000. et non modo lege publica Relionem Christianam introduxit, sed etiam Rempublicam rite ordinavit.

Reges Arpadiani.

S. Stephanus Sciens omne regimen non in bonum illius qui regit, sed in bonum eorum

qui

qui reguntur constitutum esse, ideo post acceptum Regalis excellentiae signum, cum Episcopis et Primatibus Hungariae statutum a se Decretum manifestum fecit. Novitiam Religionem salutaribus disciplinis firmans, decem Episcopatus fundavit, Ecclesias erexit, easque amplissimis bonis ditavit. Sub eo Forma regiminis Monarchica suo modo limitata firmata est Haereditario-Electiva: cumque jura Majestatica soli regi vindicata fuissent, quo ad justitiae administrationem Judicia tam in Aula sua, quam in Comitatibus constituit. Politicum regni statum per nimiam Capitaneorum potentiam labefactatum restauravit, bona in minores portiones dividendo; bona vero Coronalia et Cameralia Regiae familiae asserendo; Militiam organisando in Ordinariam et Extraordinariam seu Insurgentes, item Praedialistas et Banderia: quorum victricibus armis complura bella gerens mortuus est 1038. *a*)

Petrus Venetus aut Burgundus Sororis *Stephani Giselae* filius, Hungaris mox ut electus erat gravis esse coepit adeo: ut ob libidinosam vitam, contemptum jurium, neglectamque Reipubli-

---

a) Carthuitius in Vita S. Stephani. Herman. Contractus. a. 1038. Belius in not. Hung. T. I. Decretorum L. duo S. Stephani. De aliis autem sequentibus regibus vide antiquos et recentiores scriptores. uti Turoczium. Bonfinium. Istvanfium. Palmam. Katona. Pray. Engel. Guszterman. Nagy. etc etc.

publicae administrationem, throno deturbaretur 1041. cui suffectus est

Samuel Aba S. Stephani affinis, initio tantum conjurationis Dux creatus, dein Regiam dignitatem usurpare coepit, qui demum neglecta nobilitate, quum plebeorum familiaritate nimis delectaretur, tantopere odium Nationis in se concitavit, ut *Petrum* exauctoratum revocarent, eoque agente *Abam* occiderent 1044. verum nec *Petri* regimen multum ab ejus abludebat, nam is nec prioribus calamitatibus aut periculis melior factus, imo priorem tyrannidem arripiens, a conjuratis captus, oculis orbatus brevi vitam finivit.

Andreas I. Ladislai Calvi filius ad capessendum regnum ex Russia revocatus, Hungaros ad Gentilismum redire volentes, edicto etiam promulgato aegre conciliare potuit: regnando Hungaris profuit, sibi vero nocuit fratrem *Belam* e Polonia evocando, nam ob natum *Salomonem* insidias fratris evitare non valens, brevi in bello fraterno, ungulis equorum conculcatus obiit 1061.

Bela I. regnum caede fratris acquisitum, inter gravissimas turbas causa religionis concitatas, triennio tenuit: pro cujus felicitate legibus ferendis intentus in oppido *Demes* aedium ruina oppressus vitam finivit, 1063. magnam gloriam apud posteros habiturus si regno non inhiasset, illudque bello civili non involvisset.

Salo-

Salomon Andreae filius agente *Henrico IV.* Imperatore *Albam* deductus et coronatus est, qui mature pessimorum Administrorum assidua inspiratione aversi animi indicia ducibus exhibens, validam in se concitavit conjurationem, quae licet opera Episcoporum iterato fuisset sopita, denuo tamen tristissimis caedibus et funeribus patriam involvit, qui post infelicem pugnam ad *Czinkotam* regno per *Geisam* ducem privatus, illud frustra recuperare studens, Patriamque deserens, in Castris Cumanorum contra Bulgaros pugnans 1087. videri amplius desiit.

Geisa I. depulso *Salomone* eo modestia sua rem deduxit ut rex coronaretur, sub quo *Henricus* Imp. causa affinis *Salomonis* Hungariam devastans nihil obtinere potuit. *Geisa* vero eximiis virtutibus insignis 1077. mortuus est. Cui successit frater *Ladislaus.*

S. Ladislaus, orantibus Statibus ne regnum moderatore destitutum detrimenti quid caperet, regni curam suscipiens, brevi ob multa eaque eximia merita non solum domi, sed etiam apud exteros sempiternam laudem et existimationem sibi comparavit: Germani enim exauctorato *Henrico IV.* eum ad supremam dignitatem assumendam invitarunt, quam tamen modeste recusans, mox Europae Principes eundem summum Expeditionis Cruciatae ducem designarunt, quo tamen honore fungi non potuit, quoniam ad turbas Bohemorum sopiendas profectus, morbo correptus in fama Sanctitatis obiis-

obiisset 1095. Cujus Corpus Varadinum devectum in Principe Ecclesia sepultum est. Successit ei filius

Colomannus, ob insignes regendi dotes, ob confirmatam accessionem Regnorum Croatiae et Dalmatiae, ac Legum Sanctionem, laudem apud posteros consecutus est eam, ut ex praecipuis tribus Arpadianis Regibus haberetur. Erat enim bellicosus et fortunatus, qui de omnibus hostibus triumphavit, imprimis de Crucesignatis patriam devastantibus vindictam iterato sumsit. Bellum Civile inter eum et *Almum* exortum feliciter composuit, Normannos ob fines violatos domuit, Bohemorum incursiones Moraviae vastatione vindicavit, demum acutissimo capitis dolore vitam finivit 1114. qui et Episcopus fuisse dicitur. *a*) Successit ei filius

Stephanus II. ex ambitione tutorum fere totius Dalmatiae jacturam fecit. In Polonos Hungariam infestantes arma, in Bohemos vero bellum movens, quo feliciter terminato, contra Russos ob perfidiam procerum minus feliciter pugnavit; uti et contra Graecos: qui dum ubique adversam experiretur fortunam animo despondens, vagis amoribus se dedit adeo, ut ex vitiis advitia polaberetur. atque ex nimio excessu

a) Thurocz. P. II. c. 60. 64. Vrspergensis Abb. ad a. 1101. Albert. Aquensis L. 8. c. 34. Laurentius de Monacis. Chron. L. 5. Dandalus ap. Murator. T. 12. p. 259. seq. Thomas Spalaten. ap. Schvandner. T. 3. p. 180. Cornides. Gen. R. G. Malaterra Reg. Hung. p. 21. etc.

cessu impotens factus, morbis afflictus, Agriae aeger decumbens, in habitu Praemonstratensium mortuus, et Varadini sepultus est 1131.

Bela Coecus Almi ducis filius, per *Colomanum* Regem excoecatus, in defectu lineae regnantis, ex alio ramo rex electus, cujus coecitatis partes explevit conjux *Helena*, post cujus obitum alias bonus rex vino semet interdum largius ingurgitavit; unde multa iniqua in regnum sequi debebant: quae tamen vitia, sua providentia, pietate et liberalitate compensavit. Edicta in Siccarios et latrones gravissima promulgavit: ast funestam caedem procerum in Comitiis Aradiensibus commisit: unde conjuratio in caput ejus inita, et *Borichius* cum Polonis ad patriam vastandam evocatus est. Ceterum reliquit Successorem

Geisam II. qui cruenta pugna *Borichium* superans, *Conrado III.* Imp. et *Ludovico* Galliae regi in Palaestinam tendentibus transitum per regnum maximo licet damno praestitit. E Saxonia evocatis Colonis deserta Transilvaniae et Hungariae loca frequentavit, discordias cum fratribus feliciter repressit: miroque modo tantis bellis externis et internis regnum involutum adeo strenue defendit, ut ex suis ditionibus nihil amiserit. Obiit 1161. successit ei filius *a*)

Stepa-

---

a) Turocz. P. II. c. 66. Bonfin. Dec. 2. L. 6. p. 291. Otto Frisingensis de reb. gest. Frid. c. 44. Katona Hist. Crit. T. 3. p. 492. seq. Paul. Nagy. Hist. Pragm. T. I. p. 290. seqq. fuse.

Stephanus III. gravissima bella ob fratrum contentiones gerere cogebatur cum *Manuele* Graecorum Imperatore, a quo etiam exortis domesticis turbis, regno privatus est haud ex juris Publici causis. Cui per vim et seditionem successit Frater *Ladislaus II.* qui etiam post sex usurpationis menses exstinctus, successorem habuit pari Conjuratione electum fratrem *Stephanum IV.* cujus causa gravissimis caedibus involuta fuit Hungaria, donec ipse veneno obiisset: cujus obitu, *Stephanus III.* Solio paterno restitutus, condonato primi triennii tributo, subditorum amorem sibi conciliavit: contra *Manuelem* Imp. et Venetos varia fortuna in Croatia et Dalmatia bellum gessit: tandem exstinctis machinationibus Graecorum et bellis intestinis, non sine veneno decessit 1173. successit ei

Bela III. in aula Graecorum educatus, qui superatis procerum studiis, sapientissimis institutis Hungariam restauravit, facinorosis legem justitiae opposuit, judiciorum ordinem emendavit, Polonos et Bohemos finibus regni imminentes rejecit; contra Venetos gravia bella gessit, ac recuperata Dalmatia, quum pro Sacra expeditione maximos feceret apparatus, mortuus est 1196, et regum filio suo reliquit. *a*)

Eme-

---

a) Nicetas. Edit. Venet. p. 89. Schierius. Reg. Hung. p. 245. Arnold. Lubecensis ap. Leibnitz T. 2. p. 931. Simon de Keza. c. 4. Pray Hist. Reg. Hung. P. 1. Nagy Hist. Pragmat. T. 1. p. 317. seq.

Emericus fratrem suum *Andream* adversum se factionem iteratis vicibus molientem insigni facinore superans, incarcerandum curavit, cui tamen inde dimisso et reconciliato, filii sui *Ladislai* infantis tutelam committens, bello et pace clarus decessit 1204. Cujus filii *Ladislai* causa inter *Leopoldum* Austriae ducem et Hungaros, fere bellum inchoandum erat, nisi *Ladislai* infantis mors intervenisset 1205.

Andreas II. Hierosolymitanus dictus, quod expeditionem in terram Sanctam suscepisset: unde reversus mox regno componendo intentus, specialibus concessis praerogativis, nobilium animos sibi devinxit per sic dictam *Bullam Auream*, salutaribusque Decretis rempublicam ordinavit, *Colomannum* filium in Haliciae regnum reposuit. Cum *Friderico* Austriaco gravem dimicationem habuit, unde victor reversus lites Regem inter et Clerum ob Saracenorum in Christianos grassationes exortas prudenter composuit; cunque e tot malis respirans, quiete perfrui potuisset, vitam finivit 1235. sepultus Varadini. *a*) successit ei filius.

Bela IV. Severa sua agendi ratione initio Hungarorum animos adeo a se abalienavit, ut Hungari *Fridericum* ad capassendum regnum evocaverint, quo devicto, restituta domi quiete, quum

---

a) Turocz. P. 2. c. 82. 72. Monach. Patavin. ap. Urstissium. P. 1. p. 587. Dlugoss. L. 6. Bonfin. Dec. 2. p. 313.

quum secundos curarum suarum successus praestolaretur, longe gravius malum conflatum est a supervenientibus Tartaris, qui post commissum ad *Sajonem* proelium, duce *Batho* Hungaris fugatis, regnum turpissime devastarunt. Ipse *Bela* fuga vitam salvare volens, a *Friderico* Austriaco fictis blandiciis exceptus, dein thesauris spoliatus in Dalmatiam se recepit, unde altero anno, dum Tartari ad patria latibula redivissent, in devastatam Hungariam rediens, deductis coloniis regnum restauravit et frequentatum reddidit, artes et mercimonia promovit, regnumque pristino vigori restuens, jure alter conditor Hungariae dictus decessit 1276. successit ei filius *a*)

Stephanus V. a rebus praeclare gestis domi amorem, apud exteros vero venerationem et nominis celebritatem meruit; cum *Ottocaro* Bohemo causa limitum, et detentorum thesaurorum grave bellum gessit. Princeps hic alias optimus ac felicissimus futurus, mature animo aeger, optimo aetatis flore 34. anno decessit 1272. successit ei filius:

Ladislaus IV. *Cumanus* dictus ob nimiam Cumanarum feminarum familiaritatem; ob quos abusus etiam a *Philippo Firmano* Cardinale Pontificis legato erat admonitus, ut conjugalem thorum, rejectis Cumanarum mulierum amoribus, coleret,

---

a) Rogerius. miserab. Carmen: super Destruction. Hungariae a Tartaris. item Nagy.

leret, verum inveteratam luxuriem tam alta mente tenebat, ut nulla regni aut provinciarum cura tangeretur; quare in vaga licentia modum tenere non valens, interitum regno, sibi vero et regiae familiae orbitatem infelix Princeps conscivit, nam ad *Körösszeg* prope Varadinum divertens, ab ipsis Cumanis noctis silentio confossus interiit 1290. et Varadini sepultus est optimo aetatis flore 28. anno.

Andreas III. Andreae II. nepos, et Stirpis Arpadianae in omni linea ultimus surculus, factiones domi et foris obortas superandas habuit: nam Imperator *Rudolphus*, et Pontifex, imo et aula Neapolitana jus succedendi prae ipso contendentes, variis animorum motibus occasionem praebuerunt, unde contracto animi, moerore autpotius ex porrecto veneno decessit, et cum illo *Arpadi* stirps Hunnica virilis sexus per continuam seriem ab *Almo* et *Arpado* propagata defecit 1301. *a*)

Reges Hungarorum Variae Stirpis.

Venceslaus Bohemus ex linea feminea *Arpad* descendens, inter graves factiones Rex electus, quum brevi nec jus Regium, nec competens obsequium experiretur, a patre in tutum re-

c c

a) Turocz. P. II. c. 82. Schierius Regn. Hung. p. 204. Katona Hist. Criticae. T. 7. p. 758. seq. Pray. Annal. R. Hung. P. 1. p. 354. 367. Nagy Hist. Prag. Hung. L. 1. p. 113. seqq.

receptus et una cum Corona Pragam reductus, in itinere omnem Sacram supellectilem ex Ecclesia Strigoniensi asportans 1505. amplius in regno visus non est.

Otto Bavarus, Belae IV. per filiam *Elisabetham* nepos, *Venceslao* sponte secedenti succedens, recuperata a *Venceslao* Corona inauguratus, ob factiones domi forisque ferventes haud laetiora habuit regni auspicia, nam ex insidiis *Alberti* Caesaris dum causa sponsae suae in Transilvaniam proficisceretur, per designatum socerum captus, in arce munita detentus, abidicato regno libertatem redimens, suam Bavariam repetiit 1307.

Carolus Robertus Neapolitanus post multas Hungarorum contentiones tandem in Campo *Rakos* Rex electus, initio inusitata corona coronatus, factionibus labefactatum regnum salutaribus institutis reparare volens, optimos ejus conatus bella interna et externa multum impediverunt; nam domi cum *Matthaeo* Trentsiniensi, *Mladino* Bano, *Petro* et *Mikone* decertabat; foris cum Venetis, Austriacis, Bohemis, Serviis, Valachis et Tartaris, quibus in ordinem redactis, etiam periculum familiae Regiae a *Feliciano Zaach* intentatum feliciter superavit; judiciorum formam, Rem monetariam et Literas in ordinem redegit, et mortuus est 1342. ei successit filius.

Ludovicus I. Magnus excellentissimis animi virtutibus praeditus, brevi eam nominis celebri-

lebri-

ebritatem obtinuit, ut pacem pro arbitrio conficeret, vicini Principes ejus amicitiam expeterent, remotiores firmum praesidium in eo invenirent, leges iis et populis dictaret, Hungariam vero tot provinciarum accessione nobilitaret, ut unus ille tot provinciis praeesset, quot omnes Europae Principes simul possiderent: quum enim et Poloniam obtinuisset; tunc quidquid Mari Balthico, Adriatico et Ponto Euxino inter erat, *Ludovicum* Dominum agnoscebat: unde Hungaria *Archi Regnum* dicebatur. Cujus praeter bellicam gloriam tripplici bello Neapolitano csusa caedis fratris *Andreae* partam, multa sunt merita etiam quo ad statum Religionis, justitiae administrationem, et Literas, imprimis vero quo ad legem *Amortisationis* pro Ecclesiis et Sacerdotibus latam: item et Colonos quos a mancipatu liberos esse voluit. Quibus curis consumtus an. regiminis 40. aetatis 56. decessit 1382. *a*) successit ei filia:

Maria jure liberae electionis in Regem electa, brevi tamen seditiosa Procerum consilia evitare non valens, electo per seditiosos Regi *Carolo Parvo* regnum resignare debuit; quo brevi sublato, denuo *Maria* thronum conscendens, maritum suum *Sigismundum* per quem e carceribus liberata fuit, in aequam regiminis

 pos-

a) De eodem et Praecedentibus regibus vide Bonfinim Dec. 2. L. 10. Thurocz. Part. 3. c. 39. Katona. Hist. Crit. T. 9. et 10. Pray, Palma et Nagy, in Hist. Hungariae. etc.

possessionem assumens, paulo post improlis decessit 1595.

Sigismundus qui et Imperator, ob quaedam violenta sua facta, infelicemque pugnam Nicopolitanam adeo a se Hungaros abalienevit, ut *Ladislaum* Neapolitanum sibi regem eligendum, *Sigismundum* vero carceribus mancipandum decernerent: unde post multas calamitates dum conditiones sibi propositas subscripsisset, libertati restitutus, *Mahomedem* Turcarum Imperatorem et ejus successorem *Amuratem* feliciter superans, quo ad omnem reipublicae partem salutares fecit ordinationes, quare ab omnibus deinceps deamatus Princeps, Imperator Germaniae et Bohemiae Rex electus est, sed pecuniae parum fidelis custos decessit 1437. Regiminis 51. Ecclesiae turbas ab Hussitis concitatas, Synodo Constantiensi egregie composuit

Albertus Austriacus licet potentiam trium regnorum teneret, regnum tamen tranquillum reddere non potuit ob *Ulrici Ciliensis* temeritatem, et *Barbarae* viduae Sigismundi attentatas molestias. Ceterum cum *Amurate* Turca ad Semendriam pugnare volens, repente alvi profluvio correptus, in pago *Neszmély* in Hungaria mortuus est 1459.

Uladislaus I. Polonus, consentiente Regina vidua, Rex electus, seditiosos in Hungaria virtute *Joannis Hunyadi* profligavit, eo duce saepius et Turcas gloriose reprimendo, Bulgariam subegit. Hungariam latis saluberrimis legibus

bus ornavit, post multas clades inducias decennales Turcis expetentibus concessit, sed Pontificis et aliorum hortatu denuo arma contra Turcas vertens, adeo infeliciter pugnavit, ut ad *Varnam* et vires Hungarorum amitteret, et ipse in acie occumberet 1444.

Ladislaus V. Posthumus ob imbecillem aetatem, Gubernatorem obtinuit *Joannem Hunyady*, qui speciali jure Hungariam gubernans, omnem reip. partem optimo gubernio illustravit; decies de Turcis victoriam reportavit, bis victus exstitit. *Fridericum* Imp. iterato proelio ad dimittendum *Ladislaum* regem coegit: tandem invidiosae dignitati post compertas procerum machinationes sponte renuncians, peste obiit 1456. sepultus Albae Carolinae in Transilvania.

Mathias Corvinus, *Joannis Hunyadi* filius ex captivitate ad thronum, militum acclamatione evectus, omnia sua studia ad ordinandam rempublicam convertens, conspirationem inse initam evertit, ejectisque e regno Germanis et Bohemis, arma in Turcas vertit, a *Friderico* Imp. S. Coronam recuperavit, Transilvanos et Valachos tumultuantes domuit, profligatis Turcis, arma in *Fridericum III.* vertens 1485. Vienna capta, inferiore Austria potitus est: cumque utilissimis institutis occuparetur, repente morbo correptus obiit 1490. non sine suspicione veneni: hic inter Maximos Hungariae reges numeratur; qui fuit sui temporis Maximus belli Ducum, Religionis Cultor eximius, armorum et Litera-

terarum amantissimus, et Iustitiae exactor rigidissimus.

Uladislaus II. Polonus regimen nimis turbulentum habuit per *Maximilianum* Austriae Ducem, et fratem suum *Albertum;* quos ubi composuisset, contra Turcas vario marte pugnavit; tumultuantes Rusticos *kuruczones* dictos repetita clade, virtute praestantissimorum ducum profligavit. Tandem cum Viennae pristina successionis et foederum inter Austriacos et Hungaros pacta innovasset, podagrae dolore consumtus decessit 1515. cujus benevolentia plurimi abutentes, inferiores opprimere coeperunt. Successit ei filius

Ludovicus II. sine cute natus, quum non dum iis animi viribus esset praeditus ut Palatinalium factionibus et allis malis resistere potuisset, maximis periculis per omnem vitam erat expositus: imo a tutoribus in voluptatibus fuit educatus, in cujus depravanda indole primas partes tenuisse dicitur *Georgius Brandeburgicus*, sub quo universus regni status erat profligatissimus; ideo licet cum Turcis inducias, cum Austriis vero affinitatem inivisset, *Solimannus* tamen Turcarum Imp. omnium cruentissimum intulit bellum, quo, ad *Mohats* campum deleto maximo nobilitatis flore, ipse *Ladovicus* in fuga palude mersus vitam miserando clausit. anno. 1526. aetatis 20. regni 10. *a*)

Reges

---

a) Pray P. 4. Annal. p. 319. seq. Istvanfi L. 6. p. 50. Katona Hist. Crit. T. 19. p. 363. seq.

Reges Domus Austriacae.

Ferdinandus I. post funestam cladem Mohatsianam in legitime convocatis Comitiis, contra Usurpatorem et a factiosis electum regem *Joannem Zapolyam*, legitimus rex electus est ita: ut deinceps jure haereditario electivo, ad eum et familiam ejus Austriacam continuo Regnum Hungariae devolveretur; cujus causa gravissimis bellis per totam vitam agitabatur per *Zapolyam* ejusque foederatum *Solimannum* Turcam, qui saepius Hungariam repetitis cladibus vastitates exercens, abductis multis captivorum millibus, tandem *Ferdinandum* ad pacem cum *Zapolya* ineundam compulit: vi cujus ipse *Zápolya* in parte inferioris Hungariae, legitimus rex quo ad suam personam agnitus est. Post haec celebratis comitiis, salutares tulit ordinationes, quae quantis Hungaria morbis laboraverit, satis ostendunt. *a*) Decessit Pragae 1564. et successit ei filius

Maximilianus optimus Princeps, salutares tulit leges, sed bellum cum *Solimanno* prius pacem violante, varium ac multiplex habuit, obsidione *Szigethana Solimannus* profluvio ventris

---

a) Istvanfi L. 13. seq. Martin Stella. ap. Schardium T. 2. p. 425. Leunclav. L. 18. p. 786. seq. Annal Turcor. c. 50. seq. Thuan. L. 9. p. 268. Corpus Juris Hung. P. 1. p. 355. seqq. Chytraeus. p. 543. Epitome rer. Ferdin. ap. Schard. T. 3. p. 172. etc.

tris obiit, *Nicolaus Zrinyi* vero fortiter pugnans cum suis praesidiariis occubuit. Cum *Joanne Sigismundo* ad *Tokainum* viriliter pugnavit, quo mortuo *Stephanum Báthory* de Poloniae regno aemulum nactus, eidem is Poloniam eripuit, contra quem dum arma pararet, curis confectus obiit 1576. successit ei filius

Rudolphus Scientiarum justo avidior Princeps, suorum et fratris insidiis se, regimenque suum objecit. Turcas proelio superavit, contra quos etiam foedus cum *Bathorio* inivit: molestissimum tamen rebellem habuit *Stephanum Bocskay* Transilvaniae Principem, qui causa religionis quum Hungariam devastasset, tandem celebri pacificatione Viennensi composuit; et Hungariam fratri suo *Mathiae* pleno jure gubernandam tradidit 1608.

Matthias donec vixit regnum pacatum habuit, turbas in Transilvaniâ ortas feliciter repressit: et licet belli tricennalis flamma, quae in Germania et Bohemia dudum gliscebat, eo regnante in apertum eruperit, in Hungariam tamen non nisi post ejus mortem penetravit. Tandem quum spe haeredis destitueretur, Ferdinandum e fratre nepotem coronari curavit, ipse vero Viennae obiit 1619.

Ferdinandus II. vitam inter multas et gravissimas curas traducere debuit, nam bellum tricennale Religionarium, Hungariam quoque duce *Gabriele Bethlen* Turcarum ope adjuto et religionis libertatem vindicaturo laceratam experiri

periri

periri cogebatur; cui demum septem Hungariae Comitatus cum Transilvania et Silesia concedens, cum Turcis etiam pacem firmavit; cumque imperii turbas composuisset, bellorum mole confectus Viennae obiit 1637. et successit ei filius

Ferdinandus III. qui pro tuenda re Catholica difficile habuit imperium, quod *Georgius Rákóczy* armis invadens, subacta Cassovia, auxiliantibus Turcis populationem late circumtulit, qui demum copiis Garmanicis devictus, ad pacem ineundam adactus est: atque sic terminato bello tricennali, *Ferdinando IV.* filio mortuo; alterum filium *Leopoldum* successorem reliquit 1657.

Leopoldus I. Magnus, regimen gravissimis turbis implexum obtinens, magnis per omnem vitam tempestatibus jactatus, praeter duos potentissimos hostes in oriente Turcas, in occidente Gallos in perniciem Austriae incumbentes fortiter sustinuit, quibus demum superatis, Hungarorum quoque animos conciliavit, et jus haereditariae successionis ad primogenitos extendit; inter quas tempestates, interdicto omnis alterius Sectae usu, Catholicae religioni decus restituit, regnum legibus stabilivit, ac Victoriae fructus decerpendos filiis relinquens obiit 1705.

Josephus I. Imperium multiplici bello involutum suscepit, nam statim primus ejus annus erat turbidus ad Rhenum ob fratrem suum *Carolum*; difficilis in Italia ob successionem Hispani-

spanicam; tristis in Hungaria ob nefandam rebellionem a *Rákoczio* suscitatam; quae tamen omnia felicitate et victoriarum claritudine compensavit. Obiit 1711. successorem reliquit fratrem suum.

Carolus III. Hungariam bellis civilibus nimis afflictam quieti et pristino vigori restituit; leges multas genio nationis minus consentaneas abrogando, novas pro re nata salutares tulit, cumque filiis careret, ne ditiones Austriacae aliquando dividerentur, vi Sanctionis Pragmaticae, successionem familiae suae haereditariam extendit etiam in femineum sexum: duo bella ut Rex Hungariae gessit cum Turcis, quorum alterum utrumque feliciter terminavit; quibus curis distentus obiit 1740. successit ei filia:

Maria Theresia foecundissima prolium Mater et perennis memoriae Magna Hungarorum Domina, multis gravissimis bellis ob successionem lacessita ab Hispaniae, Galliae et Borussiae regibus, item Bavariae et Saxoniae Electoribus, quibus tamen omnibus, Hungarorum fide, constantia et virtute gloriosissimis victoriis obstitit, ditionesque suas feliciter retinuit. Cujus eximia erant in Gentem Hungaram Studia et Beneficentia, uti ex felicissimis ejus constitutionibus ad Statum Religionis, Publicum, Politicum, aerarii et militiae organisationem elucent. *a*) Quibus uti-

a) Praeter Palma, Pray, Katona, vide Historiam Pragmat. Paul. Nagy ubi reipublicae partes omnes exponuntur T. II.

utilissimis Curis incumbentem Magnam Reginam mors inexorabilis Hungaris eripuit. 1780. successit ei filius

Josephus II. felicitati populorum consulendi studio, plurimas easque maximas fecit mutationes, justitiae et aequitatis rigidus custos, omnis praepotentiae abusum, debiliorum oppressionem gravissime punivit; complures religiosos ordines sustulit, educationem Juventutis Hungarae saecularibus viris concredidit; Parochorum numerum auxit, Legem Urbarii sanxit, Tolerantiam Religionis introduxit: cum Turcis bis bellans felicem victoriam reportavit. Interim gravi morbo decumbens, quum de querelis Hungarorum edoctus fuisset, omnia sua statuta, sine omni tergiversatione revocavit, excepto Decreto Tolerantiae, Urbarii, et Cleri regulatione. Obiit non coronatus Rex Hungarorum. 1790. cui successit frater.

Leopoldus II. Summa sapientia Hungarorum animos sibi concilians, legibus Hungaricicis conformes fecit ordinationes; foedus armorum cum Turcis inivit; Borussos et Belgas, aliosque seditiosos prudenter placavit, Politiae ac Dicasteriis pristinum ordinem, civibus tranquillitatem restituit; ac inter maximos belli strepitus, animam Creatori reddidit 1792. successit ei filius hodie gloriose regnans:

Franciscus I. qui Patriam ab omni vexatione innoxiam mirabili providentia servat, commerciis florem, Politiae et Dicasteriis ordinem,

Eccle-

Ecclesiae decus et ornamentum, subditis contra hostiles impetus tranquillitatem, toti vero Patriae publicam felicitatem reddit. Diuturnum bellum cum magna sanguinis effusione gestum, feliciter in confoederatione imprimis Russiae Imperatoris *Alexandri I.* et Borussiae regis, aliorumque Principum, terminavit; quae totidem sunt immortalia documenta; Historiae aliquando inserenda. Quem *Deus* omnipotens tamquam optimum Patrem Patriae diu incolumem et vegetum conservet, ut sub Clementissimo Regimine Patriae felicitas efflorescat.

§. 5. *Status Literarum et Artium.* Hungaros in Pannoniam venientes Analphabetos non fuisse, politica eorum, et leges in Asia latae satis docent: sed in adnotandis rebus suis parum solliciti, plura lucem merita publicam aeterna nocte tumularunt, quoniam his Annalium loco erant hastae, gladii, debellatae provinciae. Exteri etiam de eorum rebus primis parum scribere potuerunt, vel quod sermonis usu carerent: vel sponte peregrinae gentis acta literis consignare intermiserunt: artes proin et scientiae neglectae erant usque dum *Geisa* cognovisset terram suam esse bonam et fertilem, qui etiam svasit genti suae, ut arma deponeret, et merces suas potius vicinis distraheret, quas sibi provincia sua amplius germinaret. Hic simul etiam Monachis et Clericis potestatem concessit suam praesentiam adeundi, et orthodoxae fidei semen emittendi, cum qua religione etiam fundamenta scientia-

entiarum in Hungariam illata sunt, *S. Stephanus* autem quum intellexisset ex exterorum commercio Latinum Sermonem apud omnes Christianos et Eruditos communem esse, ideo eum Hungaris quoque familiarem esse voluit, prout brevi ad eum culturae gradum pervenerunt, ut in publicis Magistratibus ac Legislationibus in hunc usque diem uterentur. Idem rex *Albae* et *Csanadini* Scholas publicas aperuit, munus docendi Canonicis imponens, ut juvenes Grammaticae, et Musicae scientiis informarent, qui etiam brevi in artibus non mediocriter profecerunt. Celeberrimus Magister Canonicus Csanadini erat *Valterus*, Albae *Henricus*, quod ipsum et in aliis Episcopatibus et Monasteriis observamus. Ex quibus patet Hungaros jam olim in Latinitate eminuisse, hodieque eminent; nam, Diplomatica lingua apud Hungaros est Latina. A quo tempore sicut ipsi reges, ita etiam multi procerum in scientiis insigniter erant exculti, ut ipsa legum quas condiderunt sapientia docet. Per Tartarorum incursiones quidem omne decus Literarum et artium abolitum erat, verum successive studia Literarum restaurata sunt partim Regum, partim Synodorum Statutis: *a*) nam sub *Ladislao* IV. in Synodo Budensi statuebatur: ut Archi Diaconi juri Canonico per triennium studeant; cumque soliti essent literarum causa Bononiam, Romam, Parisios, Cracoviam exire Pa-

triae

---

a) Peterfi Concil. Hung. P. 1. p. 115.

triae filii; ideo idem rex in emolumentum eorum restauravit solenni diplomate studium generale Vesprimiense *a*) Porro *Ludovicus Magnus* aeternam laudem meruit ob favorem literarum et Literatorum; qui initio viros in exteras Academias regiis sumtibus expediens, tandem amore Academiarum ductus, Quinque Ecclesiis 1367. Generale studium, seu Academiam instituit ab *Urbano* V. Pontifice confirmatam: ubi praeter humaniores litteras et studia Philosophica, etiam Jus Civile et Ecclesiasticum, pro ut et alia licita tradebantur. Eodem regnante jam 1347. etiam Magno Varadini Scholas *b*) floruisse documenta docent. *Sigismundus* etiam pro cultura Nationis Budae scientiarum Universitatem, ab ejus nomine Sigismundensem, seu per abbreviationem *Sundensem* instituit. *c*) *Mathias* autem *Corvinus* longe cultiorem effecit Hungariam, quo agente Doctrina bonarum artium et linguarum studium fugatis ignorantiae tenebris quasi postliminio restituebatur; qui omnigena eruditione conspicuos viros regiis sumtibus in Hungariam vocavit, in exteris vero regnis lautissimo Stipendio aluit, qui praestantissima opera conscriberent; hic conflavit nobilissimam Bibliothecam, sed furore Turcarum eversam. Idem pro Scholis Budensibus, grande aedificium moliebatur, in quibus 40. millia discentium commode cum

a) Thuroczius Chr. P. II. c. 81. *b*) Paul. Nagy. Hist. P. Hung. T. 2. p. 71. *b*) ibidem p. 115. Pray. Ann. P. 2. 2. p. 186.

cum suis Doctoribus degere potuissent. Sub *Ferdinando* I. complures piae fundationes consurexerunt, evocatique erant Patres Societatis Jesu, quibus primum Collegium fundavit Tyrnaviae *Mathias Görög* Praepositus Strigoniensis, dein pro his complura Collegia sunt erecta, imprimis quum Reformati magnis passibus sua placita per Hungariam disseminare coepissent. Maxima autem incrementa acceperunt Literae rara munificentia *Petri Pazmani*, qui in maximis aerarii angustiis. 100. millia florenorum deponens fundavit Universitatem Tyrnaviensem; uti et in aliis locis Collegia. Auream autem aetatem Literarum induxit *Maria Theresia*, qui pro educatione Juventutis Collegia instituit Viennae, Budae, Vacii, Item Tyrnaviensem Universitatem, ad meditulium regni Budam transposuit 1777. et stabilivit 1780. Praeterea IV. Academias erexit uti Jaurinensem, Posoniensem, Varadiensem, es Cassoviensem; In Croatia vero Zagrabiensem quae etiam hodie florent; supremam Scholarum Inspectionem Reges Hungariae sibi reservarunt continuo. His igitur institutis, Literae in Hungaria in flore sunt. Diversis autem temporibus Domestici et Externi Scriptores quam plurimi exstiterunt, qui de Hungaria scripserunt; uti Statum Geographicum illustravit: *Georgius Csipkés* Ultrajecti 1655. *Joan. Ferdinand. Behamb.* Argentorati 1676. *Martinus Zeilerius* Lipsiae 1664. Georgius Kreckvitzius, Erfurti 1685. *Aloysius Ferdinandus Comes Marsigli* 1700. Georgius

Ver-

Vernerus Viennae. 1551. In Historia Hungariae *Anonymus* Belae Regis Notarius de septem Ducibus. *Carthuiczius* de vita S. Stephani. *Rogerius Siculus* de destructione Hungariae per Tartaros. *Franc. Foris Ottrokoczi* Franeckerae 1693. *Antonius Bonfinius*, priores Decades edidit *Martinus Brunnerus* 1543. Totum vero *Joannes Zambucus*. *Brodericius* de clade *Mohatsiensi*. *Nicolaus Olahus* sub titulo Attila. *Abrahamus Baksay*. *Nicolaus Istvánfi*, Coloniae 1662. *Petrus Revay*. Francofurti 1659. *Joan. Nadanyi* Amstelodami 1663. *Hieronymus Ortelius* Francofurti 1665. *Melchior Inchofferus* Romae 1644. *Jodocus Keddius* Viennae 1655. *Joannes Jessenius* Hamburgi 1609. *Melchior Soiterus* Augustae 1538. *Ludovicus Tubero* Francofurti 1603. *Jacobus Typotti* Halae 1598. Recentissime autem *Palma Carolus* Ep. *Georgius Pray*, *Stephanus Katona* Canonici et Professores Historiarum, item *Josephus Kereszturi*, *Martinus Bolla*. In Historia Hungariae *Fessler*, *Guszterмann*, *Belnay*, *Spanik Glycerius*, et *Paulus Nagy* Professores. Statum Politicum Hungariae, *Georgius Pontani* a *Preitenberg*. Francofurti. *Stephanus Werböczii* Viennae 1581. Excell. Comes. *Antonius Czyráki*. *Emericus Kelemen*. *Franc. Grossinger*. etc.

FINIS.

